MARCI ANTONII PLENCIZ,
MEDICI VINDOBONENSIS,

OPERA MEDICO PHYSICA,

IN QUATUOR TRACTATUS DIGESTA,
QUORUM
PRIMUS
CONTAGII MORBORUM
IDEAM NOVAM UNA CUM
ADDITAMENTO
DE
LUE BOVINA,
ANNO 1761. EPIDEMICE GRASSANTE,
SISTIT,
SECUNDUS
DE
VARIOLIS,
TERTIUS
DE
SCARLATINA,
QUARTUS
DE
TERRÆ MOTU,
SED PRÆCIPUE ILLO HORRIBILI AGIT.
QUI PRIMA NOVEMBRIS ANNO 1755. EUROPAM,
AFRICAM, ET AMERICAM CONQUASSABAT.

VINDOBONÆ,
TYPIS, JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REGIÆ
APOST. MAJESTATIS AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.
MDCCLXII.



Multa egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, multumque adhuc reſtat operis, multum reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſæcula præcidetur occaſio, aliquid adhuc adjiciendi. Seneca Epiſtola 64.

PRÆFATIO AUTORIS
AD
TRACTATUM DE CONTAGIO.

etus eſt eruditorum querela, quotidie augeri librorum molem, idem ſonantium, idemque ſentientium crambem toties jam coctam ultronee, ſæpiusque recoqui, unde creſcit quidem librorum numerus; aſt non, quod in votis eſt, ſcientiarum, Reipublicæque commodum. Tales philotechni potius compilatores, quam autores dicendi ſunt; qui quaſi jurantes in verba magiſtri nefas eſſe credunt a majorum ſenſu recedere, novumque quidquam moliri; *ſic enim pecorum ritu ſequuntur antecedentium*

gregem pergentes, non qua eundum, sed qua itur.

Ignominiosum sane, quod tamdiu vixerimus, sine ulla inventione in aliorum dicteriis semimortui, & quasi consepulti. Ita Seneca cap. 1. de vita beata.

Libet igitur, & licet quandoque a communi autorum sensu recedere, & minus tritam sectari viam, dum ex hac plus, quam ex aliis emolumenti expectandum est.

Idem fatum attingit nostram de contagio sententiam; a multis enim jam annis non arrisit illa communis, & a plerisque etiam celebratissimis viris recepta contagium explanandi ratio, qua, ut dein per

de-

decursum operis patebit, ejus essentia semper majoribus obvolvitur tenebris, terminis generalibus, vocibusque obscuris exprimitur, & explanatur, ut exinde nec cognoscatur, quid sit, unde dependeat, aut quomodo curari possit.

Materiæ gravitas, artis medicæ decus & Reipublicæ commodum exigit, ut intimius in posterum, quam huc usque factum est, in contagii essentiam inquiramus. Nihil enim magis horrendum, & tam hominibus, quam brutis magis exitiale, quam ipsum contagium, nam proh dolor! sæpissime contingit ab uno innumera alia animalia eodem affici, contaminari, & deleri contagio;

integras provincias, frequentesque civitates ſuis privari incolis; numeroſiſſimos brevi temporis intervallo decreſcere exercitus. Unde mirum non eſt, ſi parentes contra naturæ legem horreant ſuas contagio afflatas dilectiſſimas proles; ſi communio inter matrimonio junctos exinde tollatur, ſi denique arctiſſimæ amicitiæ inter homines vincula ſolvantur. Hoc ſane in morbis malignis, petechialibus, varioloſis, aliisque ſimilibus ad evitandum diriſſimum eorum contagium juſtiſſimo titulo quotidie fieri, obſervamus.

Quapropter artis medicæ plurimum intereſt, ſi non evidentem, ſaltem veriſimiliorem contagii exhi-

hibere ideam; aſt iſte ipſe conatus talibus nos involvit difficultatibus, ut, qua ratione nos expediamus, vix pateat via, duram certe ad digerendum ſuſcepimus provinciam, ut dubius hæream, an contagium plus ſcribenti, an illi, qui eo affectus eſt, negotii faceſſere queat.

Verum in re tam difficili audendum eſt aliquid, ut aliis, qui plus otii nacti ſunt, aperiatur via, unde per diverſa, & probata experimenta eſſentia, & cura contagii magis pateat; neque enim uno conatu aut impetu, ſed diverſos veluti per gradus, quæ in occulto latent, extricari poſſunt. Quare primis noſtris conatibus non tantum naturam contagii in genere explana-

bimus; sed attingemus, & ruminabimur pariter illa, quæ cum contagio nectuntur, & ad hæc usque tempora parum expolita inveniuntur; ut est putredo corporum; puris confectio in diversis morbis; ars, veterinaria dicta, seu diversi brutorum contagiosi morbi, variolarum, morbillorum, aliorumque contagiosorum morborum hoc tempore jam nota insitio, inoculatio; tandem rubigo, pessimus vegetabilium morbus, eorumque pestis alias dictus; item plura alia huic operi inmixta invenies, quorum lectionis non pœnitebit. Quare totum opus in tres partietur sectiones, quarum Prima de Contagio in genere; Secunda de putredine, & tandem Tertia de rubigine tractabitur.

Se-



Series rerum notabiliorum, quæ in Tractatu de contagio continentur.

SECTIO PRIMA.
DE CONTAGIO IN GENERE AGIT.

I.

Quamvis evidenter demonstrari non possit, morbos contagiosos ante universale diluvium viguisse, probabile tamen est, eisdem etiam tunc genus humanum afflictum fuisse. §. I.

II. Ex sacris & profanis constat, mox post diluvium tales morbos grassatos fuisse. §. 2.

IX.

SE-

SECTIO SECUNDA

Agit de putredine, ejus natura, causis & effectibus.

mul-

multiplicari incipit; & reliqua; quæ legi possunt 72. 73. *&c.*

XVIII. *Hæc diversis rationibus, observationibus, & experimentis confirmantur.* 75. 76. *&c.*

XIX. *Tandem illis, quæ contra hanc sententiam objici possent, respondetur.* 89. 90.

XX. *Præsupposita essentia, & natura putredinis, potest facilius cognosci, & deduci natura, & essentia contagii, quæ hic multis rationibus, & experimentis demonstratur esse talis, ut dictum fuit.* ʃ. 46. & 47.

XXI. *Ex hac de putredine, & contagio sententia facilius, & expeditius solvuntur phænomena & difficultates, quam per quamcunque aliam.* 111. 112. *&c.*

XXII. *Adducuntur multa, & difficiliora phœnomena, quibus ex nostris de contagio principiis satisfieri facile potest.* 120. 121. *&c.*

SEC-

SECTIO TERTIA.

XXIX. *Agit de rubigine, vegetabilium morbo, de ejus caufis, & effectibus* 171.

XXX. *Rubiginis ficut putredinis & contagii natura necdum eft legitime expofita, & explanata.*

XXXI. *Unde neque fententia Clarifs. Lævvenh. neque aliorum rubiginis naturam bene exponit.* 174. 175.

Rubigo aut a rore vitiato, & verminofo, aut a ventis auftralibus, certa feminia verminofa adferentibus, aut a pluviis verminofis deducitur. 177. 178.

XXXII. *Hoc affertum tum rationibus, cum experimentis firmatur.* 180. 181.

XXXIII. *Cum ex tritico rubiginofo fato triticum pariter rubiginofum produci foleat, adducuntur certæ methodi, quibus hoc præcaveri poffit.* 183.



SEC-



SECTIO I.

DE

CONTAGIO IN GENERE.

I.

uamvis evidenter demonſtrari non poſſit, ánte, & mox poſt univerſale diluvium, morbos contagioſos viguiſſe, probabile tamen eſt, iisdem, ſicut aliis calamitatibus, eo tempore afflictum fuiſſe genus humanum: interim ex ſacris literis conſtat, anno poſt diluvium 827. ſub Moyſe, & Pharaone morbum contagioſum peſtilentialem, qui & homines, & bruta

tenebat, extitiſſe; item eundem graſſatum fuiſſe anno 1203. ſub Samuele Propheta; uti & anno 1282. ſub Daniele.

II.

Si profanos autores conſulamus, nobis conſtabit ex Platone, & Euſebio, tempore Cicropis primi Athenienſium Regis, anno poſt Deucalionis diluvium 787. funeſtam peſtem exhauſiſſe Aegypti, & Aethiopiæ urbes. Item anno 1022. Italiam, 1150. Græciam, Thraciam, Cretam, & anno 1254. poſt Trojæ excidium iterato Græciam, & vicinas Aſiæ regiones a contagio peſtis infeſtatas fuiſſe; quæ omnia ut & reliqua contagii mala, quæ ſubſequis ſæculis diverſas occupabant orbis partes, videri & legi poſſunt in Herodoto, Heſiodo, Livio, aliisque probatis autoribus.

III.

Ex his, & ſimilibus caſibus B. L. cognoſces, quod ex veterum monumentis noti-

notitiam & hiſtoriam contagioſorum morborum haurire omnino poſſimus; aſt ubique altum de eſſentia, & natura contagii ſilentium reperies. Divus Hippocr. ipſe in ſuis epidemiis explanat peſtem Athenienſem Olympiade 79. graſſantem, & a Thucidide ſuo contemporaneo nitidiſſime alias deſcriptam, absque eo tamen, ut inquirat in naturam talis contagii.

IV.

Forſitan id factum eſt, uti plures etiam modernorum celeberrimi viri autumant, quod tales morbi contagioſi aliquid Divini præ ſe ferre videantur; ſic enim nefas eſſe credunt, ſi humanum ingenium in hæc Divina inquirere ſatagat, unde fit, ut credant, ſatius eſſe in rebus occultis, & obſcuris propriam fateri ignorantiam, quam talia in medium adferre, quæ multis forte riſum, & ſtomachum movere poſſent.

V.

Verum ſi talia præjudicia omni ævo viguiſſent, quod quæſo, arcana naturæ jam patefacta in alto ſepulta adhucdum jacerent? quin imo ipſe Divus Hipp. de morbis alias Divinis dictis aliter ſentit; nam de morbo ſacro, & alibi docet, *quod nullus morbus altero Divinior, aut humanior exiſtat, ſed Divini omnes, cum horum quisque ſuam naturam habeat, nec quidquam citra naturam fiat; homines vero naturam, & cauſam morbi Divinam eſſe putarunt præ inexperientia & admiratione.*

VI.

Quare ſpretis omnibus conviciis de trivio dabimus primo generalem, & ſuperficialem fere contagii ideam. Dein explanabimus, quid illud ſit, & in quo conſiſtat, quod contagium nominamus; ad hoc ut quaſi per gradus natura contagii facilius pateat.

VII.

VII.

Quod prædictam superficialem, & fere extrinsecam contagii notionem concernit, hanc apud Cicer. L. 2. de Divin. sed minus apte expressam habemus, ubi dicit quod contagium sit illa vis, quæ a syderibus defluit, & in sublunaria influit; etenim quondam multi morbi ab influxu syderum in nostra corpora derivabantur; hodie vero meliore imbuti ratiocinio sublunares morborum, uti & contagii causas vix non omnes admittimus; & quid sit contagium in genere consideratum, alio concipimus modo.

VIII.

Contagium itaque est illa vis, qua affectus aliquis occupans unum corpus communicatur alteri corpori. Quapropter omnes illos morbos contagiosos nominare libet, qui ab uno subjecto transeunt ad aliud. Hoc vero duplici potissimum solet contingere modo, vel enim id fit im-

mediate per contactum, ut in scabie, lue venerea; vel mediate, seu ut solet dici, in distans, mediante aere, ut in peste, purpura, variolis. Aliud est etiam contagium per fomitem; dum materia contagiosa diu iners, antequam in actum deducatur alicui corpori inhæret. Ut hoc contingere solet in hydrophobia, lue venerea, podagra, & similibus affectibus, qui aliquando in seris primo nepotibus in actum deducuntur, qui prout mediate vel immediate communicantur, ad duos priores modos reduci possunt.

IX.

Hæc dicta sunto de contagio, quod ab extrinseco advenit, & alteri corpori communicatur; verum quid dicendum erit de illo contagio, quod corporibus jam inhæret, & suapte natura dato tempore, quin imo aliquando ex forti imaginatione in actum deducitur? scio quidem, vix non omnes celebres viros in

hac eſſe opinione, contagium ab extrinſeco tantum advenire, & alteri communicari; ſed dein oſtendemus hoc præjudicium erroneum eſſe.

X.

Interim ad clariorem contagii ideam ſcire oportet, non tantum quid ſit morbus contagioſus, ſed etiam quid ſit epidemicus ſeu popularis, & quæ ſit inter ipſos differentia; cum, quamvis non ſemper plerumque tamen, morbos, qui epidemici vocantur, obſervemus eſſe contagioſos, & viciſſim.

XI.

Hippocrat. Lib. de natura humana morbos epidemicos ſic deſcribit: *Quando ab uno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, cauſam ad id, quod communiſſimum eſt, & quo maxime omnes utimur, referre oportet, eſt autem hoc ſpiritus, & aër, quem inſpirando trahimus.*

 XII.

XII.

Itaque morbi populares a communi quidem causa, ut aëre dependent, sed non semper eodem modo disposito, alias tales morbi continuarent sine intermissione; debet igitur aëri tunc aliquid accedere, quod cæteroquin ipsi non inest; quod Hippocrat. eodem Lib. de natura humana sic exponit: *palamque est, aërem tunc morbosam aliquam exhalationem habere.* Istæ exhalationes dum aëri miscentur, morbos populares, qui sæpe pariter contagiosi sunt, causantur. Quid vero istæ exhalationes sint, & unde originem trahant, patebit, dum de causis contagii verba faciemus.

XIII.

Interea hic saltem superficialiter novisse sufficiat, quid sit morbus contagiosus, quid epidemicus, & quæ sit inter ipsos differentia; experientia enim nos docet, eundem morbum posse esse epidemicum

cum & contagiosum; tales sunt febres malignæ, pestilentiales, petechiales, variolosæ, morbillosæ, urticatæ, scarlatinæ, dyssenteria præcipue castrensis; huc etiam referri potest pertussis, seu tussis convulsiva infantum, quia hæc certo tempore grassatur, & unus eadem affectus infans plures alios secum commorantes eadem afficere valet.

XIV.

Item experientia constat eundem morbum posse esse epidemicum, quin tamen tam facile contagiosus dici possit. Tales sunt diversæ febres rheumaticæ, intermittentes. Huc referri possunt aliquando mortes subitaneæ, de quibus Lancisius eruditissime tractavit. Observavit quoque Boillius ipse, quod ex peculiari flante apud septemtrionales vento homines derepente moriantur.

XV.

Tandem etiam experientia patet, dari morbos contagiosos, qui non sunt epi-

demici; tales ſunt ſcabies, lepra, elephantiaſis, podagra, lues venerea, hydrophobia, carcinoma apertum, phtiſis; item Clariſs. Frid. Hoffm. Lib. de externis affectionibus, dicit quædam ulcera externa eſſe contagioſa. Quin imo morbi exanthematici poſſunt ſine epidemia eſſe contagioſi; ſic variolæ poſſunt inoculari abſente epidemia.

XVI.

Dantur alii morbi, de quibus dubium eſſe poteſt, ad quam ex dictis ſpeciem referri debeant; ſic anno 1757. paſſim hic Viennæ corripiebantur homines tumoribus quibusdam, veras parotides, ſed ſine notabili febre præ ſe ferentibus. Similes erant nobilium adoleſcentum fere 60. in Academia Sabaudica, qui eodem afficiebantur tumore ſed plerumque cum ſat levi febricula. Copioſis diluentibus, antiphlogiſticis, diaphoreticis, & fomentis externis, ſiccis, tepidis;

intra

intra octiduum, aliquando intra duas septimanas dissipabantur omnes, absque omni suppuratione.

XVII.

Cum itaque ex dictis constet, morbos epidemicos non semper cum contagio conjungi, debemus necessario admittere, aliam esse causam epidemiæ, & aliam contagii. Unde fit, ut nunquam satis Venerandus Sydenhamius miretur, ab iisdem saltem ad sensum nostrum tempestatibus diversos exoriri morbos, diversam medendi methodum requirentes, quod potissimum de epidemicis contagiosis intelligendum est.

XVIII.

Si morbi sint pure pute epidemici, poterunt ad causas manifestas, seu ad qualitates, humidi & sicci, calidi & frigidi; adeoque ad diversam eorundem miscellam, prædominium, durationem, aut repentinam mutationem, reduci. Si vero sint

con-

contagiosi, alia est, & longe major difficultas determinandi, in quo proprie consistat illorum contagium, ipsiusque contagii vera natura; in qua indaganda, & explananda celeberrimi præcipue in arte viri plurimum adlaborarunt, diversasque de contagio opiniones in medium adduxerunt, quas nos hic loci seorsim explanabimus, & trutinabimus; ad hoc ut appareat, quæ ex his magis respondeat Phœnomenis, quæ in morbis contagiosis observantur.

XIX.

Quilibet intelliget, summi in arte medendi esse momenti, veram, si possibile est, contagii naturam cognoscere; secus enim illi medentes in tenebris versamur, & remedium potius sorte, quam ratione arripimus. Ipse Celsus effatur: *ad rem pertinet omnium proprietates nosse.*

XX.

Quare sententiam de contagio, quæ sequentibus quæstionibus magis apposite satisfaciet, amplectemur.

XXI.

Quæſtio prima: quare a variolis variolæ; a morbillis morbilli; a ſcarlatina pariter ſcarlatina; item a peſte peſtis; a lue venerea lues venerea; idem dicendum eſt de hydrophobia, ſcabie, aliisque morbis contagioſis, ordinaria naturæ lege oriantur? Unde ſignum evidentiſſimum eſt, ut dein clarius patebit, hos & ſimiles morbos ſpecie inter ſe differe. Hinc apparet, quam erronea ſit aliquorum opinio aſſerentium, hos morbos uti & illorum cauſam materialem differre inter ſe ſecundum magis & minus tantum; nimirum in quantum in uno cauſa materialis volatilior, in altero vero fixior ſupponitur. Sed quis quæſo ab omni præjudicio alienus crediderit, ſcabiem & variolas, luem veneream, & petechias habere eandem cauſam materialem ſecundum magis & minus differentem? quis unquam, vidit petechias in luem vene-

nere-

neream, aut ſcabiem in variolas degeneraſſe? quin imo plus una vice obſervavi, quod ſcabioſi ſi variolis afficiuntur, tempore & ſtadio variolarum ſcabies evaneſcat; verum exſiccatis variolis, poſtliminio recrudeſcat, & pertinaciſſime affligat, quod certe fieri non poſſet, ſi eandem haberent cauſam materialem; igitur dicendum eſt, quod, ſicut plantas, & eorum ſemina ſpecie differre palam fatemur, quia ordinaria naturæ lege a certo ſemine certam tantum plantam exoriri obſervamus, idem pariter dicendum ſit de morbis contagioſis; nimirum ipſos, eorumque cauſas ſpecie inter ſe differre.

XXII.

Quæſtio ſecunda: quare contagium certam tantum animalium ſpeciem afficere ſoleat? ſic experientia conſtat, aliam eſſe luem humanam, aliam bovinam, aliam ovinam, & aliam equinam; qualis in Anglia nunc 1760. inter equos graſ-

grassatur. Qualis etiam hic in Austria, præcipue vero Viennæ inter genus equinum per modum cujusdam Catarrhi suffocativi, & inflammationis pulmonum anno 1755. grassabatur; item datur epidemia contagiosa pennatorum, & piscium; qualis descripta habetur in act. Nat. Cur. anno 5. obs. 170. item ait Furman: alt und neues Wien p. 515. similem pestem pennatorum observatam fuisse prima vice hic Viennæ anno 1286. qua gallinæ & aves derepente extinguebantur. Nostro autem tempore nimirum anno 1752. luem inter gallinas hic Viennæ observavimus, qua fere innumerabiles, extinguebantur.

XXIII.

Neque enim observamus, quod contagium ab una specie v. g. a bovina ad aliam, ut humanam, aut caninam, transeat; experientia enim docet, & homines & canes inter armenta lue affecta innoxie

ver-

versari posse; interim hoc proh dolor! quotidiana constat experientia tam ab hominibus, quam a canibus cum bobus lue affectis commorantibus facile ad boves sanos idem contagium transportari, & iisdem communicari posse. Unde fit, ut ab illis, qui sanitati publicæ invigilare debent, hoc in casu certæ capiantur cautelæ.

XXIV.

Non ignoro, adduci posse exempla contagii, quod a brutis ad homines, & vicissim, translatum fuisse creditur; talia legi possunt in Ephemerid. dec. 2. an. 7. obs. 192. item cent. VIII. obs. 44. verum dein patebit, hoc non fuisse idem, sed specie diversum contagium.

XXV.

Quæstio tertia: quare & quomodo fiat, ut materia contagiosa valde diu iners, & insons latere, & tandem longo post tempore, & data occasione in actum deduci possit? uti hoc proh dolor! in pe-

ste

ſte ſæpe obſervatum fuit: ſic Salmuth obſ. 64. cap. 1. conſtat, peſtem per annum in homine latuiſſe. Item hydrophobia morſum canis ſæpe diu poſt ſubſecuta fuit. Vid. act. Nat. cur. vol. 1. obſ. 7. p. 38. Item Dec. 1. ann. 10. obſ. 43. Lues venerea pariter diu latere poteſt in corpore, antequam in actum deducatur. Ut inter alios Rejes quæſt. 58. p. 774. item experientia conſtat, morbos hæreditarios in ſeris primo nepotibus efflorefcere, & propululare. Prætereo hic multas alias obſervationes, contagii peſtilentialis in veſtibus, aliiſque hirſutis corporibus diu latentis; peſti enim volupe eſt in lana diu cubare.

XXVI.

Quæſtio quarta, & inter reliquas princeps: quare materia contagioſa ſit tam facile communicabilis, & tam mirum in modum multiplicabilis? ſic funeſto ſæpe eventu obſervatæ fuerunt ab uno pe-

ſte affecto homine plures provinciæ, & frequentiſſimæ civitates eodem infici, & exhauriri contagio. Item innumera extant exempla, ab una lue affecta pecude numeroſiſſimum ſæpe peculium deletum eſſe. Romazzinii, & Lanciſius judicant, anno 1710. mala ſorte ab uno lue affecto Hungarico bove in Italiam delato, eandem luem per univerſam fere Italiam propagatam fuiſſe. Item portio materiæ varioloſæ vix ſenſibilis per inſitionem & inoculationem multiplicari poteſt vix non ſine fine; ex quibus conſtat, quam multiplicabile ſit contagium.

XXVII.

Quanta vero facilitate materia contagioſa ſit communicabilis, ſuperius jam diximus, eandem facillime a canibus, ab hominibus, a grege lue affecto ad ſanum deferri poſſe. Mirabilem caſum legimus in act. Nat. cur. Dec. 3. ann. 7. obſ. 193. ubi febris maligna contagio-

giosa ab olfactis floribus, quibus cadaver tali morbo affectum, & defunctum, ornatum erat, contrahebatur. Item a morsu muscæ, quæ cadaveri peste infecto insederat, pestem communicatam fuisse, asserit Garman. L. 2. Tom. 2. §. 58. unde patet necessitas cadavera lue affectorum mature, & profunde tumulandi; secus enim exhalationes contagiosæ facillime per aëra, & ventos non tantum ad vicina, sed & ad remota loca transferri & communicari poterunt.

XXVIII.

Istæ sunt principes, quæ de contagio moveri solent difficultates, & quæstiones; quare ab aliis recensendis, quæ per decursum operis patebunt, supersedemus; nam sententia, quæ propositis quæstionibus satisfaciet, non laborabit in aliis. Proponemus igitur, & trutinabimus principes autorum de contagio sententias, & tandem illam saltem, ut veri-

ſimiliorem, quæ propoſitis quæſtionibus magis ſatisfecerit, amplectemur. Nihil hic dicemus de archæis Helmontii; de Realgore Paracelſi; neque de influxu aſtrorum ab aliquibus pro cauſa contagii aſſumpto. Hæc enim in moderno foro medico pro commentis habentur.

XXIX.

Prima opinio, quam multi celebres viri amplectuntur, contagii naturam explanare conatur per quasdam fermentationes miaſmatis maligni cum noſtris humoribus, unde fit, dicunt, ut eosdem in ſui naturam mutet, atque aſſimilet eodem fere modo, uti parva fermenti piſtorii portio integram panificii maſſam in motum fermentativum concitat, ſibique ſimilem reddit.

XXX.

Verum iſta ſententia multis premitur, quibus ſatisfieri nequit, difficultatibus, ut primo, quod motus fermentationis

tionis ab his autoribus nimis generaliter, & pro quolibet motu inteſtino, ſive is ſit fermentationis, putrefactionis, aut efferveſcentiæ, aſſumatur, & venditetur; cum tamen hi motus diſtingui debeant, eo quod diverſus ex his reſultet effectus. Vide celeberr. Boerhavii chemiam: ſic effectus fermentationis eſt in ſpiritum ardentem, aut acidum mutatio; ſi vero effectum contagii, aut exitum morborum contagioſorum intime conſideremus, videbimus illos potius juxta mentem horum autorum in alcali degenerare, adeoque ex hoc jam uno fundamento videtur iſta corruere opinio.

XXXI.

Secundo: ſi vero motum fermentationis cum motu putrefactionis confundere velis, incides in ſcyllam volens vitare charybdim; quia debes primo oſtendere, in quo conſiſtat iſte motus putrefactionis, & in quo a motu fermentationis

differat; cum unus & alter consistat in certo particularum motu intestino, videntur itaque potius convenire, quam differre; unde ab uno sicut ab altero deberet idem exurgere effectus, adeoque idem semper redit argumentum.

XXXII.

Tertio: quotidie vix non multa putrida in usum vocantur absque eo, quod talis motus putrefactionis exurgat; & absque eo, ut humores nostri illis putridis assimilentur.

XXXIII.

Quarto: superius ostendimus morbos contagiosos specie inter se differre; adeoque tot deberent admitti fermenta, quot sunt species morborum contagiosorum, quod iterum omni ratione & fundamento destituitur, quis enim istam fermentorum differentiam determinare posset? adeoque vel deberet admitti, quod diversa specie fermenta cum una humorum nostro-

ſtrorum maſſa fermentare poſſint; vel quod ab una ſpecie fermentorum diverſi ſpecie contagioſi morbi produci poſſint; verum utrumque eſt tam erroneum, quam inconceptibile, ſicque dicta ſententia de fermentis per ſe corruit.

XXXIV.

Alia eſt ſententia, quæ acidum, & alcali, aut unum ex his pro natura contagii aſſumit. Aſt ſententia hæc adhuc majoribus quam prior, involvitur difficultatibus. Etenim ſuperius jam oſtendimus, diverſas dari ſpecies contagii, juxta hanc ſententiam vero, ſive dicas in utroque, ſive in alterutro ex illis conſiſtere naturam contagii, nunquam diverſas contagii ſpecies ſalvare poteris, ſic enim omnes morbi contagioſi ad unam aut alteram ſpeciem reduci deberent.

XXXV.

Præterea ſi dicas, cauſam materialem contagii eſſe aliquod acidum, con-

cipi vix poteſt, quomodo tam facile communicari & multiplicari poſſit; cum acida non ſint tam volatilia neque tam expanſibilia; quin imo experientia contrarium demonſtrat, ab omnibus acidis contagium potius cicurari, ejusque communicabilitatem, & multiplicationem potius impediri & imminui; nam in regionibus ſeptemtrionalibus peſtem rarius graſſari, & minus multiplicari experientia conſtat; cujus alia ratio eſſe non poteſt, niſi quod ibidem acidum aëreum Catholicum prædominetur, quod docet confectio nitri moſcovitici; de quo vide elegantiſſimum tractatum celeberr. Frid. Hoffm. de nitro.

XXXVI.

Tandem ex perientia patet in morbis contagioſis humores noſtros ad putredinem diſponi, ut fautores hujus ſententiæ dicunt, adeoque ſal aliquod alcalinum volatile potius pro natura contagii, quam acidum ſtatui debet; & hæc eſt fere omni-

mnium celeberrimorum medicorum hoc tempore de natura contagii decantata, & recepta ſententia; quam aliis etiam ſolent exprimere verbis: miaſma malignum, & venenoſum, & arſenicale appellantes, quod dum noſtris miſcetur humoribus, eosdem ſive motu humorum circulatorio, ſive fermentationis, aut effervеſcentiæ quodam motu, corrumpit, & ſibi aſſimilat. Verumtamen pace tantorum virorum taliter ſentientium omni poſſibili modeſtia, eorumque debita veneratione oſtendemus, quam parum hæc ſententia ſatisfaciat explanationi contagii; multo minus ſuperius propoſitis quæſtionibus reſpondeat.

XXXVII.

Primo mirari ſatis non valeo, quare viri cætera Eruditiſſimi miaſmata contagii venenoſa, & arſenicalia vocare conſueverint; cum iſta appellatio rationem contagii potius deſtruat quam exprimat; nam ſive venena ex regno animali, vege-

tabili, aut minerali in probationem hujus ſententiæ aſſumant, ſemper falluntur; quia nec morſus viperæ, nec napellus, nec arſenicum, aut quodcunque aliud venenum ad contagium referri poteſt; experientia enim conſtat, carnes animalium ex morſu viperæ, aut quocunque alio aſſumpto veneno necatorum, nulla ratione eſſe venenoſas, multo minus contagioſas, tales enim abſque noxa ab omnibus edi poſſe jam notum eſt. Item cuilibet notum eſt, piſces cocculis de lepanto captos ab omnibus ſine metu, aut damno in uſum vocari. Vide Fricium de paradoxis medicis item Redi obſervationes.

XXXVIII.

Ex his obſervationibus deducitur, quod neque a morſu viperæ, neque ab aſſumptis quibuscunque venenis humores noſtri corporis eorum naturam induant, aut iisdem aſſimilentur; alias enim tales carnes innoxie in cibum aſſumi non poſſent.

Præ-

Præterea constat, in fodinis exhalationes esse morbosas quidem, sed non contagiosas. Ex quibus simul sumptis deducitur, contagium quidem ad venena non vero venena ad contagium reduci posse.

XXXIX.

Si vero de morsu canis rabidi difficultatem aliquam in contrarium movere conaris, nihil probas; quia hydrophobiam aut quemcunque alium similem affectum pro aliqua specie febris malignæ contagiosæ agnoscimus; unde etiam merito ad morbos contagiosos reduci potest, & debet; experientia enim constat, hunc morbum in canibus tempestate calidissima, quin imo aliquando ex causa interna generari; qui etiam in homine aliquando a causa interna, uti aliæ febres malignæ, oriri potest. Tales observationes legi possunt in act. nat. Cur. cent. 3. p. 112. Item Dec. anno

6.

6. obs. 38. Aliud autem est de morsu viperæ, scorpionis, vespæ, & aliorum; quia non memini talem morbum alteri communicatum fuisse.

XL.

Secundo Clariss. Sydenham, aliique practici observant, in morbis epidemicis contagiosis quandoque contraria remedia requiri, eo, quod illa, quæ in una epidemia prosunt, sæpe in alia obsint; verum si omnes morbi contagiosi a prædicto sale alcalino volatili acri dependerent, tunc sufficerent eadem semper remedia, quia eadem semper esset causa.

XLI.

Tertio observationibus uti jam diximus constat, miasma contagiosum corporibus diu in- & adhærere posse; adeoque signum est illud non esse volatile; alias tamdiu in uno loco coerceri non posset.

XLII.

XLII.

Tandem ultimo quæstionibus superius propositis per hanc sententiam minus quam per quamcunque aliam satisfieri poterit. Nos probavimus aliud esse miasma pestilentiale, aliud variolosum, & aliud venereum; item aliam luem bovinam, aliam caninam, & sic de reliquis; adeoque hæc contagia specie differre diximus, sed quomodo ab aliquo simili miasmate, quod in sale alcalino volatili consistit, diversæ species contagii dependere possint, concipere non valemus; etenim in hoc miasmate aliam mutationem, aut differentiam nobis imaginari non possumus, quam quod unum magis volatile, aut acre sit, quam alterum; notum autem cuique est, magis & minus non mutare speciem; adeoque a tali miasmate tam diversæ morborum species oriri non possunt.

XLIII.

Ast dices: experientia constat, primo, in morbis contagiosis humores nostri corporis ad putredinem, & alcalinam naturam tendere; ergo signum est, miasma illud contagiosum pariter alcalinæ esse naturæ. Secundo experientia pariter nos docet, tempore pluvioso, & humido, item in locis, ubi humidum prædominatur, grassari morbos epidemicos sæpe contagiosos; hoc vero ideo fieri videtur, quia humidum prædominans disponit ad putredinem, putredo vero maximam partem consistere videtur in natura alcalina, adeoque ex omnibus his concludi poterit, miasmata contagii esse potius alcalinæ quam alterius naturæ.

XLIV.

Ad primum respondemus, necdum demonstratum esse, ut dein patebit, dum de putredine sermo erit, in morbis conta-

tagiosis humores nostri corporis esse naturæ alcalinæ. Interim quamvis concederemus, nihil tamen exinde evincitur; quia iste esset potius effectus contagii, quam ipsum contagium; adeoque essentia contagii debet esse aliquid aliud; secus enim admittere deberemus, quod quodlibet corpus putridum vel sit contagiosum, vel quod una putredo specie ab alia differat, sicut unum contagium ab alio specie differre diximus.

XLV.

Ad secundum vero respondemus, tempestates pluviosas, & humidas maximam partem disponere ad morbos epidemicos, ut rheumaticos, sed raro ad contagiosos. Nam ad hoc ut alicubi exuberans humiditas morbos contagiosos caussetur, necesse est, ut vel miasmata maligna secum ferat, aut ibidem inertia latentia offendat, sicque foveat & in actum deducat; si hoc non fiat, grassabuntur

mor-

morbi epidemici, sed non contagiosi. Experientia autem quandoque oppositum docet, constat enim, quod exundatio Nili morbos contagiosos, ut pestem abigat; quia tunc sole signum cancri subeunte, & septemtrionali plaga fumigante Etesiæ flare incipiunt, qui campsinos ventos, miasmatum pestiferorum vectores expellunt & abigunt. Illa vero, quæ hic de putredine afferuntur, patebunt clarius dum de putredine differemus.

XLVI.

Cum itaque omnes superius allatæ sententiæ phœnomenis, & superius propositis de contagio quæstionibus minus apte respondeant, cogitandum est de alia, quæ hæc omnia facilius, & ad ductum naturæ conformius expediat; talis causa materialis contagii verisimilius est miasma verminosum; seu principium aliquod seminale verminosum specie diversum; a principio mundi a Deo produ-

ductum, unde morbi contagiosi originem habent, & propter quod ipsi, uti plantæ, inter se specie differunt.

Miasmata contagiosa a principio creationis jam fuisse producta est Muratori nel tratato della peste, Plateri, Hartsœckeri, Sydenhamii aliorumque sententia; sed qua ratione etiamnum vigeant, propagentur, & multiplicentur, diversa semper fuit sentiendi ratio; fateor, nostram, quam adduximus sententiam ab aliquibus celeberrimis viris jam indicatam, quadantenus tritam fuisse, sed longe diversa methodo, & debili valde argumentorum, & experimentorum apparatu; unde factum est, ut hucusque neglecta, aut superficialiter tantum pensitata fuerit.

Superius jam diximus, quod dum tempestas humida, & pluviosa diu perseverat, sed præcipue dum austri, aut Evro-noti flare non desinunt, quod ni-

mirum tunc diverſa ſeminia adferantur, & alia hinc inde latentia foveantur, & evolvantur, unde dein fit, ut plurima ſeminia, quæ alias hinc inde ſterilia latent, ſobolefcere incipiant, adeoque innumerabilia animalcula exinde generentur. Hæc animalcula quam plurima deponunt ſeminia, ex quibus pariter, ſi debitus fotus adſit, alia evolvuntur animalcula. Talia ſeminia ſeu ovula ſunt maximam partem tam exilia, & tam levia, ut in aëre hinc inde volitare, & nunc ad unam, nunc ad aliam plagam deferri valeant, quæ dum humidum, aliumque ſibi congruum nidum offendunt, in eodem foventur & evolvuntur; quare nemo mirari debet, ſi in locis humidis, paludoſis tam frequentes muſcæ, ſcarabæi, ſquilæ, ſcrophulæ, hirudines, ſed præcipue illud chryſalidum genus, culices appellatum, aliaque quam plurima nudis oculis inviſibilia animalcula reperiantur, & exuberent.

XLVII.

Ex quo etiam patet ratio, quare morbi contagiosi, siue endemice, sive epidemice in similibus locis maximam partem grassentur. Item ex his patet vera causa contagii antecedens, concomitans, materialis & formalis. Item ex his deducere possumus talia seminia contagii ad diversas plagas ab austris transferri posse, ibique morbos contagiosos causare. Talem constitutionem epidemicam & pestilentialem describit Hipp. lib. III. sect. III.

XLVIII.

Verum ut hæc, quæ hucusque dicta sunt, facilius intelligantur, & ne asserta sine demonstratione esse videantur, necesse erit tum ratione cum experimentis thesim nostram ultro corroborare, & quædam hic præmittere, ex quibus tanquam legitima consequentia nostra sententia deducatur.

XLIX.

Animalcula, quorum jam meminimus, quanto magis decreſcunt mole, tanto magis creſcunt numero, prout enim illorum moles eſt vix perceptibilis, ita eorum multiplicatio eſt incredibilis; hæc quæ dixi, paſſim videri poſſunt in operibus Clar. Lœwenh. ſed præcipue in Lib. arcan. naturæ, epiſt. 96. p. 41. & alibi, aliosque Clar. Autores; ubi unicæ guttulæ aquæ dicuntur ad minimum 2750000, animalculorum ineſſe; ſed quæſo quid dicendum erit de horum animalculorum ovulis, & de horum ovulorum futuris fœtibus? & ſic deinceps, quid tandem de ipſorum organis? idem enim Celeberrimus Autor ſtatuit, millies millium talium animalculorum myriades non æquare unum arenæ granum. Hæc ſunt quidem noſtro debili ingenio inconceptibilia, verum admiſſa materiæ diviſibilitate in infinitum, infinitæ potentiæ congrua, & poſſibilia judicare debemus. Un-

de

de merito fatemur infinitam Dei potentiam magis elucescere in minimis, quam in maximis. Ipse Lœwenh. in epist. 73. fatetur, plus sapientiæ requiri ad formationem exiguæ muscæ, quam ad magnum producendum equum. Item Plinius Lib. 11. de insectis: *turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in sublime jactus, tigrium rapinas, leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est.*

L.

Ut vero hæc clarius pateant immorabimur parumper considerantes ortum omnium animalium, & plantarum: multi Physicorum non erubescunt asserere, quædam animalcula, & quasdam plantas originem habere non ex seminibus sed ex putri, seu ex motu illo intestino, & confuso, qui in putredine observatur.

LI.

Verumtamen præter rationes, quæ communiter huic ſententiæ opponi ſolent; invenio unam a paucis notatam, ſed irreſolubilem. Videlicet; omnibus notum eſt, tam plantas quam animalia, eorumque ſeminia conſtare certis partibus, & organis affabre & ordinate ad ſuos fines diſpoſitis, ut non tantum inconceptibile ſed etiam impoſſibile appareat, talia organa ab aliquo confuſo motu, & fortuito particularum concurſu emergere & coaleſcere poſſe; ſecus eodem & quidem majore cum fundamento dicere potero etiam majora corpora ex tali fortuito motu & particularum concurſu coaleſcere, adeoque potero aſſerere, ſolem, lunam, terram, planetas, ſtellas, aliaque majora corpora ex tali fortuito particularum motu, & concurſu coagmentata fuiſſe; quod aſſertum non tantum illam damnatam Epicuri, & Democriti ſententiam,

ſed

ſed verum atheiſmum ſapit; etenim ſi admittas minimas mirabiles machinas (in quibus paulo ſuperius diximus majus eſſe artificium) a tali fortuito atomorum, & particularum concurſu exurgere poſſe, multo facilius poteris admittere idem eſſe poſſe in majoribus machinis.

LII.

Præſuppoſito igitur hoc infalibili fundamento, omnia animalia & vegetabilia originem ducere ex ſuis propriis ſeminibus, debent pariter admitti, omnia organa in ſeminibus jam ruditer delineata eſſe. Item debent admitti nulla ſemina produci de novo. Utrumque hoc aſſertum debet tanquam certum deduci ex antea dictis, quia ſicut ideo nullum animal, aut planta ex fortuito particularum concurſu coaleſcere poteſt, quia certis, & ad proprios uſus deſtinatis conſtat organis, ex eadem pariter ratione

nullum femen in rerum natura ab aliquo partium poterit produci motu, quia iisdem mirabilibus conftat organis, ruditer delineatis, neque enim alia affignari poteft differentia, nifi quod tales partes, & organa in uno magis, in altero minus explicata adfint.

LIII.

Si itaque nullum in rerum natura femen producitur de novo, debet neceffario admitti, omnia hæc a principio mundi creata fuiffe, nunc vero unum ex altero evolvi; adeoque fequitur, quod omnia femina, quæ a principio mundi ad hæc usque tempora jam erant, & quæ in pofterum in rerum natura erunt, in primigeniis illis feminibus jam phyfice contenta fuerint, & quod ex illis reliqua tantum evolvi debeant. Pariter fequitur, quod omnes homines, qui a creatione mundi ad hæc usque tempora erant, & qui in pofterum erunt,

runt, in ovario Evæ jam ruditer delineati extiterint.

LIV.

Quæ omnia cum evidenter ex data ſententia deducantur, niſi ut ſuperius diximus, in atheiſmum incidere velimus, mirum tamen eſt, quod femina jam toties & toties evoluta, notabilem aliquam jacturam in ſua diametro, & volumine paſſa fuiſſe non obſerventur; quod non niſi ex principiis de infinita materiæ diviſibilitate deduci poteſt.

LV.

Aſt dices: ad quid ſunt hæ argutæ, & laborioſæ cogitationes? ℞. Falleris ſi credis, nos extra propoſitum noſtrum hac ratione evagari; hæc enim ſunt maximum noſtræ de contagio ſententiæ fundamentum; quia ſic nulli ab omni præjudicio alieno paradoxum videbitur ſuperius allatum aſſertum; quo Lœwenh. aliique celebres viri oſtendunt

in una gutta aquæ, cerevisiæ, vini &c. 2750000. animalculorum contineri; sic enim quemadmodum multiplicatio vegetabilium per aliam semper & aliam evolutionem seminum fieri debet, ita pariter innumerabilis animalculorum multitudo, quæ in liquidis observatur, ab eadem evolutione dependeat, necesse erit.

LVI.

Hoc autem adhuc clarius patebit, si vegetabilium propagationem paulo intimius perscrutemur: etenim experientia constat ex unico semine Zeæ 2000. alia una evolutione evolvi; item ex uno semine Innulæ 3000. alia; ex uno semine Helianthi 4000. ex unico semine papaveris 32000; & tandem ex unico semine nicotianæ 40320. alia semina provenire & evolvi. Vide Linnæi fundamenta Botanic. si hæc semina ex unico semine jam educta iterum, & aliquoties terræ ad germinandum committan-

tantur, exurget profecto exinde numerus indefinitus feminum, quæ omnia in unico illo fupra dicto femine continebantur; qui numerus major erit numero animalculorum in unica gutta v. g. aquæ contentorum.

LVII.

Cum itaquæ prædicta innumerabilia animalcula in liquidis deprehenfa ex propriis feminiis originem habere debeant, cogimur neceffario admittere talia feminia, vel ab externo advehi & liquidis communicari; vel liquidis jam ineffe & in illis, quafi fterilia hærere donec certæ caufæ adfint, quæ illorum evolutioni inferviant. Hic loci nolumus adhuc disquirere, aut determinare, an talia feminia liquidis ipfis infint, an vero iis ab externo feu aëre adveniant, & communicentur; quia de his differendi alibi erit locus; hic vero principem caufam attingere & examinare debemus, quæ huic ani-

animalculorum in corporibus multiplicationi, & evolutioni famulatur, vel ut clarius loquar, cum qua conjungitur; talis vero causa communiter ab autoribus assignatur esse putredo, sed quid vere sit putredo a nemine determinatur, aut saltem valde insulse explanatur, & plerumque effectus pro causa assumi solet. Interim hic insinuandum est, quod natura contagii intime cognosci non possit, nisi prius noverimus quid sit putredo; quare sit.

SECTIO SECUNDA.

De putredine, de ejus natura, causis, & effectibus.

LVIII.

INvenio veteres magis sollicitos fuisse circa putredinem, quam recentiores; qui

qui solo putredinis nomine contenti ultronee non afficiuntur. Unde mirum non est, si in morbis malignis toties ab antiquis fiat mentio putredinis; si Lucretius Lib. VI. de peste Atheniensi:

- - *Ubi putrorem humida nacta est*
Intempestivis pluviisque, & solibus icta.

Verum in quo consistat putredo corporum difficile est determinatu; sic Aristotel. 4. meteor. lib. I. putredinem dicit esse corruptionem proprii, & naturalis caloris in humido a calore extraneo.

Item Gallen. 11. meteor. c. 8. asserit esse mutationem totius substantiæ putrescentis corporis in corruptelam a calido externo.

Paracelsus sulphur fœtidum cum dissoluto mercurio putredinem appellat.

Helmontius archæum per blas commotum, & lacessitum putredinis causam esse credit. Wilisius, Sylvius, & reliqui, partes sulphureas, & oleosas, al-

cali-

calinas, volatiles, extricatas, excalefactas, inflammatas, & a reliquis secedentes putredinem esse autumant.

LIX.

Verum ex omnibus his adhuc in obscuro latet, quid proprie sit putredo? nam multa putrescunt, in quibus internus calor non extinguitur, sed potius augetur; uti contigit, si multa viridia in unum cumulum congesta putrescunt aëre frigido existente. Item experientia constat in vase clauso, & in vacuo aut non fieri, aut saltem difficillime, putredinem, quamvis omnes aliæ causæ ab antiquis requisitæ adsint; adeoque sententia Arist. & Galleni non videtur nobis satisfacere, præcipue, cum fere idem per idem explicet.

LX.

Ast neque recentiorum opinionibus acquiescere possumus, quia ex his sequeretur, quod omnia fœtida & sale vo-

lati-

latili conftantia, & a reliquis principiis feparata ad putredinem revocari deberent; fic caftoreum, affa fœtida, fpiritus cornu cervi &c. putrida dici deberent contra omnium fententiam. Item experientia conftat, fi fulphur alcali fixum, & acetum mifceantur, quod exurgat ex ifta mifcella mixtura fœtidiffima adinftar ovorum putridorum; fed quis Phyficorum talia ad veram putredinem, de qua hic eft quæftio, revocabit?

Joannes Pringle experimentis oftendit, quod in rebus putridis non adfit fal aliquod alcali volatile, & quidem primo: fi fero putrido acidum v. g. fpiritus vitrioli affundatur, nulla fit effervefcentia. Secundo: fyrupus violarum non mutat aquam, in qua caro computruit. Tertio: neque fublimatus mercurius aqua folutus, eidem mixturæ additus aliquam mutationem caufavit. Ergo fignum eft non adeffe alcali.

Item

Item omnibus notum est; quod cadavera, si partibus oleosis volatilibus imprægnentur, & condiantur, a putrefactione optime arceantur; igitur putrefactio ab illis dependere non potest. Accedit: in lignis putridis partes oleosas, alcalinas, volatiles potius deficere, & consumi, quam exaltari. Adeoque putredo ab alio principio dependere debet.

LXI.

Sed neque illa nobis arridet opinio, quæ humores nostri corporis tunc putrefieri statuit, quando illi notabiliter recedunt a statu naturali, & quidem sequentibus ex rationibus.

LXII.

Primo, quia hoc modo exprimitur effectus putredinis, non vera natura ejusdem; quæstio enim semper superest, quid illud sit, propter quod a statu naturali recedunt. Secundo, quia sæpe humores nostri a statu naturali recedunt,

ut

ut in cachexia, in diversis cachochimiis absque eo, quod putridi dici possint; quin imo in ipsis inflammationibus sanguis per venæ sectionem extractus est spississimus & lardaceus, adeoque plurimum recedens a statu naturali; quin tamen, saltem sub initium morbi, putridus dici possit; dum vero talis fit, observatur potius difluens, & sine notabili cohæsione.

LXIII.

Si tandem tertio prædictam putredinis explanationem aliis extra nostrum corpus humoribus applicare velimus, adhuc minus congruit; etenim si liquidum aliquod mutetur, ut v. g. vinum in acetum, aut aliquod acidum in alcali, aut ex acidi & alcali miscella in neutrum, tunc talia videntur non tantum notabiliter, sed quam plurimum degenerare a statu naturali, absque eo, quod putrida dici possint.

LXIV.

Erit igitur neceſſarium, ut talem nobis formemus putredinis ideam, quæ unicuique putrido nimirum tam ſolido quam fluido conveniat; ex hac etiam ratione ſapientiſſimus Boërhavius jam dudum motus fermentationis, effervefcentiæ, & putredinis inter ſuos limites coercendos eſſe duxit, ne quilibet humorum motus pro fermentativo, aut putredinoſo, uti vulgo fieri ſolet, aſſumatur; hoc autem ſpero fore, ut eo facilius aſſequamur, ſi pro poſſibili examinemus omnia, quæ in rebus putridis, contingere obſervamus; ex quo dein non tantum putredinis cauſa ſed etiam effectus elucefcent.

LXV.

Obſervamus primo, quod omnia, quæ putreſcunt, exceptis lignis, ſpirent aliquem fœtorem; ex quo inferri poteſt, ſal aliquod volatile per ipſum motum putrefactionis fieri ſenſibile, quod prius non obſervabatur.

LXVI.

Obſervamus ſecundo, in loco frigido minus, in calido vero facilius fieri putrefactionem; huc ſpectat etiam aliqua proportio humidi; ſic caro recens facilius putreſcit, quam fumo indurata.

LXVII.

Obſ. tertio liquida ſtagnantia facilius putreſcunt quam mota; ſic aqua in fluminibus mota difficulter; in lacubus vero & ſtagnis, aliæque deſides aquæ citiſſime putreſcunt; idem dicendum eſt de humoribus noſtri corporis.

LXVIII.

Obſ. quarto, ad putrefactionem requiritur liber aëris acceſſus; ſic in vacuo, aut in vaſe, alioque loco probe clauſo, aut nulla aut ſaltem difficulter fit aliqua putrefactio. In hac obſervatione nititur illa Reipublicæ adeo utilis frumenta incorrupta per multos annos conſervandi methodus; de qua legi meretur ele-

gantissimus tractatus Domimi des Landes: *Maniere de conserver les graines.* Quod fit arcendo frumenta ab humiditate, & aëre: qua ratione impeditur putrefactio.

Sic publicis ex ephemeridibus novimus, in ruinis Herculani inventum fuisse frumentum a multis sæculis incorruptum persistens; quia non tantum ab omni arcebatur aëre, sed etiam, quia corpora circumambientia erant sicca exusta, nimirum cineres Vulcani.

Ex hoc fundamento vidi conservari Neapoli frumentum multis annis integrum & incorruptum; quod fit siccando illud in loco calido, & in sartagine fere torrendo; qua ratione quidem germen pro vegetatione destruitur, sed pro farina & panificio, ut alias inservire potest.

LXIX.

Obs. quinto, in illis rebus, quæ putrescunt, observantur vel nudo, vel saltem armamato oculo innumerabilia animalcula; ta-

lia

lia videri possunt in aqua, vino, cerevisia, aceto, in humoribus nostri corporis putrescentibus, ut in omni materia purulenta, sive illa sit variolosa, cancrosa, scabiosa, aut ulcerosa. Observationes, quas hic attulimus, nunc non demonstramus, quia dein opportunior erit locus de his plura dicendi; easdemque experimentis evidentibus, & autoritatibus omni exceptione majoribus corroborandi.

LXX.

Si hæc rite ponderentur, quæ præmisimus, natura putredinis in aprico esse videbitur; sicque optimo jure dicemus; tunc aliquod corpus putrescere, quando seminium verminosum animari, evolvi, & multiplicari incipit; hæc enim animalcula egerunt multa excrementa sale volatili constantia; item multa alia seminia, seu ovula ulteriori evolutioni inservientia; ex quibus, quæ liquida sunt, turbida & male olentia redduntur, solida

vero plus minus male olentia, mollia & friabilia fiunt; unde non immerito Kircherus putredinem animatam esse judicavit; quin immo Helmontius contra suam de putredine sententiam ostendere conatur, quod putredo hebraice vermem significet.

LXXI.

Ex quo patet, quam male effectus putredinis pro ejusdem causa & essentia vix non ab omnibus assumi soleat; fœtor nempe in rebus putridis observatus dictus fuit, ab illis excrementis, quæ talia animalcula egerere solent, dependere, adeoque se habet tanquam effectus ad prædicta animalcula; qui tamen, uti jam diximus in aliquibus rebus putridis, uti lignis abesse potest. Item patet, quod alia sint, in quibus putredo consistit, & alia, quæ ad putredinem disponunt, aut quæ illam concomitantur; ad putredinem requiritur certus gradus caloris prædi-

cto-

ctorum animalculorum evolutioni inserviens; secundo requiritur proportionata humiditas, etenim experientia constat humida facilius quam sicca putrescere; tertio requiritur libera aëris ventilatio; ut dein patebit.

LXXII.

Ne vero, quæ de putredine hucusque dicta sunt, perperam allata videantur, sequentibus rationibus, observationibus, experimentis & autoritatibus corroborari debent.

LXXIII.

Primo est illa notabilis observatio, quæ non tantum in transactionibus anglicanis sed specialiter, & eleganter exposita legi potest in tractatu physico de historia naturali Domini des Landes; quia vero hicce tractatus non cuilibet est ad manus, consultum duxi, illa, quæ ad scopum nostrum faciunt, sermone gallico ut ibi habentur, hic adjicere: *Tout*

le monde ſait que l'eau douce qu'on embarque dans les vaiſſeaux, pour le ſervice des officiers, & des équipages, s'altère & ſe corrompt trois & quatre fois de ſuite, & qu'il s'y engendre une infinité de vers. Mais on ignore peut-être choſe que rapportent les tranſactions Philoſophiques d'Angleterre: c'eſt que pendant les voyages de longs cours, l'eau douce qui eſt gardée plus d'un an dans des barriques, acquiert une qualité ſpiritueuſe, & inflammable, à peu près comme de l'eau de vie. J'ai long-tems douté de cette obſervation, mais en ayant raiſonné avec beaucoup de Navigateurs, je m'en ſuis à la fin convaincu par moi-même, & j'ai remarqué qu'en débouchant avec précipitation ces ſortes de barriques, & approchant une lumiere fort près de la bonde, l'eau prenoit feu d'abord. La raiſon de cet évènement m'a long-tems embaraſſé; mais conſidérant depuis, que dans un voyage d'un an, l'eau douce ſe corrompt à diverſes repriſes, &

qu'il

qu'il y nait à chaque fois une infinité d'insectes, en se detruisant, laissoient une matière huileuse, & inflammable qui surnage l'eau.

LXXIV.

Secundo est altera observatio, quam Eruditissimus Lancisius in tractatu de noxiis paludum effluviis p. 48. adducit quæ ita se habet: *Primo si media æstate duæ nucerinæ aquæ moles totidem in phialis excipiantur; quarum una libero aëri exponatur; altera e contrario hermetico, ut ajunt sigillo ab ambientis contactu liberetur; illam quidem observabimus brevi vermiculis inquinari, qui ad aquæ superficiem delati; rupto cortice, miranda metamorphosi in stridulos culices vertuntur: hanc vero (quam nunc etiam hujus veritatis testem servamus) ad multa lustra ab omni vermium contagione penitus vindicatam conspicimus. Adeo verum est, culices per aëra volitantes ova sua stagnantibus lymphis, ut innuimus, tanquam in propriis nidulis collocare.*

Secundo vidimus una cum illustrissimo Blanchino in aqua culicum vermibus referta, ad phialæ fundum decidisse corpuscula quædam subrotunda obscuri coloris, quæ aliis nostrorum ovula, aliis terræ granula visa fuerunt; sed revera nihil aliud deprehensa sunt, quam fæces ab ejusmodi insectis egestæ, quæ alioqui cum in paludibus ab immenso animalculorum populo copiosissime dejiciantur, inde fœtidum, crassumque cœnum existit, & cumulatur.

Item Ovid. Lib. XV. metamor. Fab. 34.

Nonne vides quæcunque mora fluidoque liquore
Corpora tabuerint, in parva animalia verti &c.

Quare ex his observationibus evidentissime patet primo, quod in rebus putridis observentur seminaria animalculorum.

Secundo, quod ab his animalculis egerantur, plurima ovula, & excrementa sale volatili constantia.

Ter-

Tertio, quod hæc minima animalcula diverſas metamorphoſes ſubire ſoleant; nimirum aliquando fiant volatilia, in nymphas & papiliones degenerent; de qua horum animalculorum metamorphoſi inferius plura dicemus.

LXXV.

Hæc quæ adduximus, videri poſſunt in diverſis probatiſſimis autoribus, ut in celeber. Lœwenh. arcanis naturæ detectis. Item in clariſſimorum Needham, & Baker elegantiſſimis microſcopicis obſervat. & aliis, ex quibus ultro conſtat, quod quo minora ſunt animalcula eo plura deponant excrementa ſale volatili prædita, & quod ab his fluida, quæ putreſcunt, turbida, fœtida reddantur. Hoc ipſum confirmatur cuilibet obvia obſervatione, qua videmus aquas paluſtres, aliasque aquas ſtagnantes cœno putrido & fœtido ex inſectorum ovulis & excrementis conſtante oppleri & obtegi.

Qua-

Quare eadem ratione, qua obviis noſtris ſenſibus videmus aquas paludoſas, ab his turbidas, & male olentes reddi, admittere pariter debebimus, alia liquida, ſi putreſcant, ab inſenſibilibus animalculis, eorumque excrementis, & ovulis turbida, & fœtida evenire.

LXXVI.

Hucuſque dictum eſt de liquidis, quæ putrefiunt; ſupereſt, ut aliqua dicamus de ſolidis putridis; probemusque quod ſolidorum putreſcentium ſoluta cohæſio, & partium ab invicem ſeceſſio dependeat ab eroſione fibrarum, & tubulorum, a prædictis vermiculis facta. Quamvis hæc ex ſupradictis facile dededuci poſſent, tamen ut aſſertum evidentius videatur, diverſis experimentis, & obſervationibus oſtendemus, talia ſemper & ubique adeoque non tantum in lignis, & carnibus putridis, ſed & in omnibus abſceſſibus; ut in ulceribus, can-

cro

cro aperto, lue venerea, ſcabie, aliisque corruptionibus obtinere & habere locum.

LXXVII.

Ad confirmandam noſtram theſim, & ad convincendum quemcunque adverſarium, alio auxilio opus non habemus, niſi ſelecto microſcopio, quo armatus oculus in omnibus ſupradictis caſibus innumerabilia, & exigua animalcula facile detegere, & conſpicere poterit. Huc ſpectat notabilis obſervatio, quam habet Clariſſ. Lœwenh. in epiſt. 115. ad Dominum Hermanum von Zœle ſcripta; in qua oſtendit, quod ligni & arundinum putredo ab exiguis animalculis dependeat, quæ ibidem in extenſo legi poteſt. Idem teſtatur ſe expertum eſſe Eruditiſſ. Hartſœkerus in epiſtola ad Dominum Andry; in qua clariſſime exprimit dari in cancro vermiculos perpetuo rodentes; quod etiam Dominus Andry in lue venerea, aliisque corruptionibus perpe-

tuo

tuo obtinere in ſuo elegantiſſimo tactatu de vermibus probavit.

Clariſſimus Fridericus Hoffmanus in ſuo eruditiſſimo tractatu de externis affectionibus aſſerit ſe obſervaſſe ulcera eſſe contagioſa, quod certe fieri non poſſet, ſi illa non conſtarent ex vermiculis multiplicabilibus.

LXXVIII.

Sed nihil magis evincit, in lue venerea ſcabie, omnibus ulceribus, aliisque ſimilibus corruptionibus ſeminaria animalculorum, quam vera & legitima methodus, qua in cura tractantur; ad debellandos enim iſtos morbos, cuilibet hoc tempore notum eſt, ſpecifica eſſe anthelmintica, nimirum ſulphur & mercurium, aliaque anthelmintica; verum hæc videntur unice reſpicere & attingere vermiculos. Huc ſpectat etiam cortex peruvianus, qui in ulceribus malignis, cancroſis & ſphaceloſis, & quidem tam inter-

nis

nis quam externis ſpecificus hoc tempore deprædicatur, ut inferius plura in particulari dicentur.

LXXIX.

Si putredo ulcerum in ſale aliquo alcalino volatili conſiſteret, ut adverſarii autumant, tunc optima & methodica cura deberet per acida inſtitui, quia contraria contrariis curantur; verum omnibus, qui ulcerum curæ operam navarunt, notum eſt, nihil magis ulceribus quam acida nocere, e contrario optima eſſe omnia anthelmintica ex ſulphure, mercurio, aqua calcis, aqua phagadanica, aliisque balſamicis amaricantibus; igitur evidenter exinde deducere poſſumus quod vera & legitima cura ulcerum prædictos vermiculos reſpiciat.

LXXX.

Ex quo patet ratio, quare vulnera & ulcera tegi, & a libero arceri debeant aëre; etenim ex jam dictis conſtat, quod

tam

tam acidum catholicum in aëre delitefcens; quam quod, quia in libero aëre citior & facilior fit vermiculorum multiplicatio, vulneribus & ulceribus fummo fint nocumento. Superius jam dictum eft, & dein adhuc conftabit; in aëre aperto fieri faciliorem vermiculorum multiplicationem; a quibus dein fit major fibrarum carnearum errofio, & ulceris labiorum dilatatio, majorque fordium, & materiæ putridioris collectio; quia major eft fœcum, & excrementorum a vermiculis egeftio, uti fuperius jam diximus de aqua putrida. Hic plures aliæ in favorem noftræ opinionis obfervationes adduci poffent; verum paulo poft harum plures adducentur.

LXXXI.

Hic optima effet occafio de pure, feu materia purulenta aliquid dicendi; verum ne nimium evagari videamur, adducemus tantum illa, quæ ad noftrum de putredine

dine ſcopum pertinent, ad hoc, ut eo evidentius pateat, omne contagium a prædicto ſeminio verminoſo dependere.

Communiter enim dicitur pus fieri, dum vaſa continentia una cum liquidis contentis in loco ſtagnationis in maſſam pultiformem conteruntur, & mutantur.

Verum multa ſunt, quæ huic aſſerto repugnare videntur, & quidem primo: experientia conſtat, in aut circa centrum tumoris inflammatorii pus primo confici; ubi tamen propter ſummum vaſorum infarctum vix aliquis motus ſive ſolidi ſive fluidi ſupereſt; totus enim motus, & impetus ejusdem, qui a corde ad partem inflammatam propagatur, exercetur ad circumferentiam tumoris inflammatorii; adeoque ibidem deberent potius vaſa una cum liquidis primitus potius ſubigi, & conteri, quam in centro, ubi vix aliquis motus aut impetus adeſt. *Secundo*: ſanies & materies purulenta non differunt

nisi secundum magis & minus, observamus autem quotidie saniem fieri etiam in cadaveribus; ast quis dicet, aut admittet, quod in cadaveribus vasa una cum liquidis contentis in talem saniem conterantur? cum in cadaveribus nullus sit motus, aut impetus a corde, sicut in vivis; adeoque sicut admitti debet, quod in cadaveribus sanies dependeat a vermiculis, qui vasa fibrilasque erodunt, horum particulas abrasas una cum humoribus & propriis excrementis miscent, a qua miscella dein illa sanies dependet; idem pariter dicendum erit de pure, quod in vivis animantibus confici solet. *Tertio:* si dicatur materia purulenta dependere a vasis, & liquidis in unam massam advicem contritis, sequeretur, quod una materia purulenta non differret ab alia nisi secundum magis, & minus, in quantum nimirum una acrior, quam altera esset; verum hoc assertum videtur sa-

næ

næ rationi contrarium esse; etenim quis dicet, materiam purulentam, variolosam, cancrosam veneream, & scabiosam tantum secundum magis & minus differre? superius jam probavimus, atque dein adhuc clarius patebit, specificam hic intercedere differentiam; quia alii & specie diversi debent esse vermiculi in materia variolosa, quam in cancrosa, aut luis venereæ. Plura vide §. XXII.

LXXXII.

Ast qui pertinaciter contrariæ adhærent sententiæ, aliud in his jam adductis argumentis non inveniunt effugium quam quod dicant, vermiculos illos, qui in rebus putridis observantur, esse effectum putredinis, non vero ipsam putredinem, adeoque putredo debeat esse aliquid aliud, & ab alio principio dependere. Verum quale illud principium sit, in quo vera putredo consistat, non determinatur, neque determinari potest,

nam ſuperius jam oſtendimus in illis, quæ adverſarii afferunt, veram naturam putredinis conſtitui non poſſe; igitur nihil ſupereſt, niſi materia quædam animata, per quam putredo conſtituitur, ultro propagatur, & diſtinguitur.

LXXXIII.

Clariſſimam inſtantiam habes in morbo pediculari, qui alias phtiriaſis appellatur, tales morbos pediculares mirabiles legere poſſumus in Valisnier. T. 1. p. 339. & alibi. Omnes norunt hunc affectum eſſe contagioſum, & cum putredine conjunctum, item unusquiſque a præjudiciis alienus admittere debet, naturam, & eſſentiam hujus morbi conſiſtere in materia animata, & per hanc materiam animatam hunc morbum ultro propagari & multiplicari, quin imo, & ſpecificari ab omni alio morbo contagioſo; igitur etiam admittere debet, illud quod hic putridum vocatur a prædicta materia animata ſeu potius

tius ab ejus excrementis dependere; nullus enim credo inficias ibit, quod illud fœtidum, maleolens a pediculis depositum non fit aliquod congeftum ex illorum excrementis, & ovulis; ficut fuperius demonftravimus, quod illa materia, qua aquæ ftagnantes, ut in lacubus & paludibus videre eft, teguntur, nil aliud fit, quam aliquod congeftum ex ovulis, & excrementis diverforum infectorum; idem etiam dicendum erit in noftro cafu, & de fcabie.

LXXXIV.

Ex quo iterato conftat, aliud effe, in quo putredo confiftit, & aliud, quod tanquam effectus aut tanquam fignum putredinem demonftrat; fœtor enim ille, & maleolens odor, qui in rebus putridis præcipue vero liquidis obfervatur, eft effectus & fignum; ex quo ideam putredinis formamus, qui tamen in aliquibus folidis, putridis, ut lignis vix fenfibilis eft, adeo-

que naturam putredinis non constituit; quaer pessime judicant, qui in tali putrido odore, naturam putredinis constituunt.

Verum hic aliquis quærere posset, unde ille excrementorum fœtor, & maleolens odor, qui in rebus putridis observatur? Respondeo, hujus erit eadem ratio, quæ est, quare ex seminibus non fœtidis oriantur diversæ plantæ, fructusque fœtentes; dantur enim multa, & mirabilia in rerum natura, quorum rationem evidentem ignoramus.

LXXXV.

Ast dices primo dantur in diversis rebus plurima animalcula absque putredine; adeoque putredo ab his non dependet; sic Loewenh: in epistola ad Fridericum Adrianum Baronem asserit, dari in cerasis, prunis, sed præcipue in rosis minima animalcula, quæ eorum pediculos nominat, absque eo, quod aliqua observetur putredo.

Dices secundo, in pomis, pyris, aliisque fructibus putridis observatur unus alterve tantum vermiculus; sed non est credibile ab uno alterove vermiculo putredinem, quæ in fructibus est, dependere; adeoque debet esse alia causa, quare putrescant; sicque dicendi erunt illi vermiculi esse potius effectus, quam causa putredinis.

LXXXVI.

Respondeo ad primum: quod animalcula dari possint absque putredine, seu ut adversarii dicere solent, absque tali fœtido odore facile concesserimus; nam necesse non est, ut ipsa animalcula, aut etiam eorum excrementa fœteant, & male oleant, uti jam diximus de lignis putridis; sed hoc adversariis nostris concedere non possumus, quod putredo absque tali materia animata esse possit; quæ materia animata saltem armatis oculis detegi potest; interim quamvis selectissimis etiam microscopiis talis aliquando non detegere-

tur exinde tamen ejusdem absentia inferri non potest; sicut enim, quamvis fœtus in prædictis animalculis contenti, & dein successive evolvendi, detegi non possint, non licet inferre, quod tales non adsint; idem dicendum erit in nostro casu. Ex quo dein patet responsio ad secundam objectionem.

Quamvis enim in pyris, pomisque putridis unum alterumve vermiculum nudo oculo offendamus, armato vere oculo longe plures detegi possunt; etiamsi vero hoc fieri non posset, tamen propter analogismum quendam, eo quod in aliis rebus putridis tales observentur, concludere possumus, illos etiam hic adesse debere.

LXXXVII.

Tandem pro confirmatione nostræ de putredine sententiæ videntur sacræ literæ plurimum favere; sic legimus mannam, quam Deus Israëlitis pluerat, si hæc in aliam fuisset conservata diem, putridam, &

verminosam fuisse redditam. Vide Exodi Cap. 16. vers. 19. 20.

Item legimus Regem Antiochum tirannum vivum putruisse ex verminosa materia. 2. Machab.

LXXXVIII.

Hæc, quæ in præsentiarum de putredine diximus, necessario prius digerenda erant, ut eo evidentius sententia de contagio superius proposita pateat; nam putredo & contagium ita invicem nectuntur, ut contagium in nostro corpore sine putredine esse non possit; adeoque eadem vix non ratione exponi, & explanari debeant. Quemadmodum enim in unica guttula v. g. putridæ aquæ 2750000. animalculorum constitui possunt, & ex unico, ut superius diximus, vegetabilium semine innumerabilia alia educi possunt, ita, & eadem ratione ex minima, & vix sensibili materiæ contagiosæ portiuncula uberrima multiplicatio & propagatio concipi potest.

Talem materiæ contagioſæ uberrimam multiplicationem, & propagationem videre clariſſime poſſumus in inſitione, & inoculatione variolarum; etenim vix ſenſibilis eſt materiæ purulentæ particula, quæ ad inſitionem adhibetur; quæ tamen ut experientia docet, fere ſine fine multiplicari & propagari poteſt. Sed quis, rogo, non erubeſcet dicere, ſal aliquod ſive acidum ſive alcalinum, ſive neutrum ita multiplicari, & propagari? Igitur dicendum erit, miaſma illud animatum, quod armato oculo in qualibet materia purulenta obſervatur, hanc propagationem, & multiplicationem ſubire, eodem & naturæ magis congruo modo, uti videmus in vegetabilibus unum ſemen fere ſine fine multiplicari poſſe. Idem in phtiriaſi, ſeu morbo pediculari contingere ſuperius jam demonſtratum fuit. Item in ſcabie poſſunt facillime detegi vermiculi, quorum ope ſcabies fit contagioſa, & ultro propagabilis;

ſic Doctor Bonnius deſcribit figuram non tantum animalculorum, ſed etiam ovorum, quæ in ſcabie obſervantur: vide Tranſaction. Philoſoph. N. 283.

LXXXIX.

Si hæc quæ diximus, præſertim vero, ſi inſitionem, & inoculationem, quæ in vegetalibus v. g. cum gemmis fieri conſuevit, attenta & ab omni præjudicio libera mente conſideremus, admittemus procul dubio, nihil in rerum natura eſſe veriſimilius, & magis quoad omnes circumſtantias convenire, quam hanc cum illa, quæ ad inoculandas variolas inſtitui ſolet, methodus. Sive enim gemmam ad innoculationem, ſive ramuſculum ad inſitionem, ſive aliam quamcunque plantæ partem ad ejusdem ſpeciei propagationem, & multiplicationem aſſumamus, ſemper admittere debemus, in illa gemma, ſurculo, ramuſculo, folio, radice contineri propriæ plantæ ſemina primigenia, quæ dein

per

per ulteriorem germinationem evolvuntur; nam si hoc non admittamus, exurgit illud absurdum, de quo superius diximus, nimirum semina produci de novo, & ex fortuito aliquo particularum motu & concursu exurgere mirabilem illorum fabricam; quod jam superius ad Atheismum aperire viam ostendimus.

XC.

Itaque spero fore, ut nullus dubitet, quin admittat illa per insitionem, aut inoculationem de novo; ut dici solent, producta semina, esse ex aliis evoluta; item ex eadem pariter ratione concedat, variolas per insitionem esse ex suis seminibus evolutas, sicque multiplicatas, & ultro propagatas. In quo concedendo multo minus hæsitabimus, si perpendamus in materia purulenta variolosa dari innumerabilia animalcula, quæ ibidem quam plurima deponunt semina, hæc seminia dein ul-

ulteriori evolutioni, propagationi, & multiplicationi inservire solent.

XCI.

Unde ratio patet, quomodo & quare insitio variolarum cum materia variolosa sicca & procul allata, in qua jam omnia animalcula emortua, aut saltem semi mortua sunt, institui possit; hujus experimenti ratio constat partim ex jam dictis, partim ex aliis observationibus fere cuilibet obviis; sic lacus & paludes exsiccatæ adhuc continent in illo cœno sicco quam plurima semi-mortua animalcula, eorumque ovula, quæ dum lacus readimplentur aqua, iterum reviviscunt & evolvuntur. Quare ex nostra, & non alia sententia reddi potest ratio, cur seminia contagiosa tamdiu inertia, antequam evolvantur, latere possint. Qui plura hac de re legere cupit, adeat Lancisium de noxiis paludum effluviis, item Loewenhœkii

kii epiſtolam 144. ad illuſtriſſimum virum Bleyſvicium.

XCII.

Hæc eſt vegetabilium, & variolarum unifona inſitionis ratio, quæ ſi ulla unquam, me allicere poteſt, ut credam, eadem ratione nimirum per ſemina propagari & multiplicari tum vegetabilia, cum variolas; nam tanta eſt in hoc artificio utriusque conformitas & ſimilitudo, ut non alia menti meæ repræſentetur niſi vegetabilis, & animalis differentia.

XCIII.

Hoc ipſum, quod dictum eſt de communicatione, & propagatione contagii varioloſi per inſitionem, intelligi & dici debet de communicatione & propagatione ejusdem quacunque alia ratione humoribus noſtris mixti: ſive enim materia contagioſa per vaſa abſorbentia periphæriæ corporis, ſive per inſpirationem, ſive una cum ſaliva deglutita, aut quacunque alia

ratione corpori communicetur, idem semper exinde exurgit effectus, & affectus.

XCIV.

Huc referri possunt illæ observationes, & annotationes, quas Kircherus & Mercurialis de muscis & crabronibus tempore pestis noxiis, pestem inducentibus, eamque ultro propagantibus divulgarunt. Nam, cum hæc animalcula corporibus, & cadaveribus peste infectis insidere, eorumque succo saturari soleant; si hæc suis aculeis, & promuscidis spiculo corpus cætera sanissimum pungant, facile tale miasma pestiferum (fere ut in insitione variolarum contingere solet) communicant; quod humoribus nostris mixtum illos eodem contagio imbuit.

XCV.

Supersunt multæ aliæ tum observationes, cum autoritates, quibus nostram opinionem corroborare possemus, verum principes adducemus, sicco pede reliquas

præ-

præterituri ſic legimus in act. Nat. cur. Dec. 2. anno. 5. p. 26. lue venerea infectum, eſſe totum verminoſum. Idem poteſt A. N. C. vol. 1. obs. 242. videri.

XCVI.

Contagium vermes eſſe volantes videre quisque poteſt Dec 1. ann. 1. obſ. 13. p. 56. Idem expertus eſt Clar. Andry in omnibus ulceribus contagioſis, ut in lue venerea, in cancro, in fiſtula lachrymali, aliisque contagioſis affectibus, quod ipſe acutiſſimus Hartſœkerus in epiſtola ad D. Andry evidentiſſimis obſervationibus comprobavit. In purpura dari pariter vermiculos legi poſſunt ſel med. Francf. Tom. 1. p. 102. & 106. item Galizius T. 11. p. 50.

Easdem obſervationes habet Lanciſius p. 341. in epidemia ab aëre verminoſo.

XCVII.

Cuilibet notum eſt dyſſenteriam eſſe morbum contagioſum; verum in excremen-

mentis dyſſentericorum videri poſſunt innumerabiles vermiculi. Vide Bonet. med. ſept. coll. p. 567. item D. Bono apud Valiſnerium, atque plures.

XCVIII.

Aſt non tantum in ſtatu præternaturali; ſed etiam alias in ſtercore, & excrementis obſervatur indefinitus numerus animalculorum, ita Loewenh. paſſim, ſed præcipue in epiſt. ad Chriſtophorum Wren, item alia in epiſtola ad Robert. Hooke.

XCIX.

Item obſervavit Valiſnerius Tom. III. p. 207. ſputum in pleuritide eſſe totum verminoſum. Unde ratio patet, quare ſi in pleuritide, & peripneumoniæ expectoratio deficiat, exanthemata plerumque ſupervenire conſueverint; quia nimirum materia corrupta, & putrida, quæ per ſputum ſecedere deberet, ad ſanguinem reſorbetur, ſicque lege circulationis ad circumferentiam corporis propelli-

tur. Notatu digniſſimum eſt, quod Doctiſſimus P. Lana in ſuo *prodromo all arte maeſtra* C. 8. p. 249. aſſerit, a ſe in omni inſectorum ſanguine obſervata fuiſſe minima animalcula verminoſa, quæ ſi nigra in infectis appareant, mortem prænuncient. Item tales vermiculos dicit, a ſe obſervatos fuiſſe in omni re putrida.

C.

Præterea dantur multæ aliæ obſervationes practicæ, ex quibus tanquam a poſteriori materia contagioſa ſtatui poteſt eſſe verminoſa; norunt enim omnes practici, fere omnes ſimiles morbos, uti §. LXXXI. jam demonſtravimus, remediis contra vermes, ſeu anthelminticis tractari, & optime abſolvi. Sic ſcabies, lues venerea, aliæque fœditates cutis promptiſſime mercurio obediunt. Talem contagioſam fœditatem cutis mercurio curatam vide ſis Ephemer. nat. C. ann. 3. p. 157.

Sic

Sic Dovers: *legs d'un medecin à sa patrie* dicit, pruritum externum esse a vermiculis, quia aqua mercurialis juvat. p. 107. Item experimento didicit, ulcera depascentia, quæ variolis supervenire solent, optime curari mercurialibus; vide ejusdem tract. de variolis.

CI.

In febribus malignis mercurialia esse optima remedia. Vide comment. de rebus in med. gestis Tom. 1. p. 240. & alibi: sic Bianchini dragmam unam pro dosi cum syrupo, aut conserva appropriata ter aut quater de die propinabat.

CII.

Fridericus Schreiberus observavit in febribus pestilentialibus mercurium cum camphora mixtum esse præ omnibus aliis remediis efficacissimum; etenim hoc modo mercurius a camphora ita cicuratur, ut impar sit movendæ salivationi, quod etiam Expertissimus Huxham observavit.

Europæi æquatorem tranſeuntes toto perſentiunt corpore intolerabilem pruritum, qui mercurio facile abigitur; hic autem pruritus dependet a pluviis verminoſis ibidem copioſe cadentibus. Ita des Landes in ſuo elegantiſſimo tractatu de ventis p. 303. huc referri poſſunt amuleta, quæ in peſte, aliisque morbis contagioſis pro præſervatione in uſum vocari ſolent, quia conſtant ex mercurio & arſenico. Verum hoc tempore omnes practici norunt, quam proficuus ſit cortex peruvianus in omnibus malignis, & contagioſis morbis, in omnibus incurabilibus ulceribus tam internis quam externis, in gangrænam, aut ſphacelum tendentibus; aſt oſtendi non poteſt alia ratione niſi virtute ſua, quam poſſidet, anthelmintica hunc effectum exercere poſſe.

CIII.

Corticem vero peruvianum eſſe ſummum anthelminticum vide A. N. C. dec.

2.

2. obs. 123. Idem legere poteris in A. Erud. Lipſ. Han. 1695. p. 386. Idem ſentiunt Lanciſius, Ramazzini, Werlhoff, aliique, qui hoc remedio non tantum ad gangrænam, ſed etiam in morbis contagioſis utuntur.

Quapropter legi meretur Clariſs. Vateri diſſertatio de efficacia corticis peruviani in gangræna Wittenb. 1734.

CIV.

Febres epidemicæ malignæ, quæ aliis remediis non cedebant, tollebantur cortice peruviano. Vid. comment. de rebus in ſcient. nat. & med. geſtis vol. V. part. IV. pag. 666.

Eundem effectum expertus eſt in febribus malignis Clar. Apini in tractatu de morbis epidemicis. Sed nunquam evidentius corticis virtus alexipharmaca conſtat, quam ex obſervationibus Eruditiſſimi & Magnificentiſſimi D. de Haen; vide ejus rationem medendi.

Videntur itaque tam mercurius, quam cortex peruvianus in prædictis morbis contagiosis suam vim vermifugam & vermicidiam exerere, & hac ratione alexipharmaca appellari possunt.

CV.

Huc etiam referri debet illa notabilis observatio, quam habet Celeberrimus Bocconi in suo tractatu lingua etrusca edito, cui titulus: Osservationi naturali &c. observatione 3[tia] p. 60. Dicit enim, in omnibus ulceribus, bubonibus petechialibus, aliisque contagiosis se deprehendisse innumerabilia animalcula, ubi adducit casum cujusdam ægri, qui in externo corporis habitu laborabat pustulis seu tuberculis plenis vermiculis; unde a Domino Baronio medico Paduano, ibique professore meritissimo unctione mercuriali sanabatur, quem casum atteſtato latino confirmat. Idem fere casus narratur a Domino Philippo Massiero Chyrurgo Padua-

nó:

no: Erat ulcus in pede plenum vermiculis carni mufcolofæ profundiffime infixis; hoc ulcus tractabatur ordinariis traumaticis & anthelminticis, quibus alias vermes inteftinales deleri & occidi folent; fed nihil proficiebat; quare judicat Doctiffimus Valifnerius, tales fuiffe diverfos ab inteftinalibus, adeoque unctione mercuriali, tam quam univerfali anthelmintico delendos fuiffe. De morbo pediculari mercurio curato poffunt multæ, & mirabiles hiftoriæ legi in Bibliotheca med. pract. Mangetti, item apud Schenkium, Bartolinum & alios; fed nil magis mirum, quam hiftoria in operibus Cl. Valisnerii T. 1. p. 339. allata de octuagenario, qui tanta pediculorum multitudine obruebatur, ut non tantum totum corpus, fed & lectus & veftes iisdem exundarent; a quibus ipfe Clarifs. Autor deducit, illam putridam & ulcerofam materiam ab eorum excrementis dependere.

Prætereo multa alia experimenta, quæ dein, dum de rubigine, de lue, seu morbis contagiosis brutorum, de variolis, scarlatina dicemus, adducentur. Superest, ut ostendamus, quod ex jam jactis de contagio, & putredine fundamentis, facilius, & expeditius, quam ex ulla alia de contagio opinione, multæ, & difficiles alias quæstiones, solvi & enodari possint.

CVI.

Quare ad quæstiones superius propositas ex nostris principiis facile respondere possumus; sic in prima quæstione proposita fuit difficultas: quare a variolis variolæ, a peste pestis, a lue venerea lues venerea pariter contrahatur, & propagetur? idem dicendum est de aliis morbis contagiosis. Sicut enim ex certo vegetabilium semine certa planta, & non alia, ita ex certo contagioso miasmate certus, & determinatus affectus, & non alius evolvi-

vitur, & propagatur; quia unum ſicut alterum ad primigenia illa ſemina reduci, & revocari debet.

CVII.

Ex quo fundamento ſatisfieri pariter poteſt alteri quæſtioni; quæ contagium hominum ſpecie diſtinguit a contagio brutorum; item quæ brutorum contagia ſpecie inter ſe differre aſſerit; ſic lues bovina debet ſpecie differre ab equina, ovili, canina, & aliis; quia non tam facile videre eſt, ut contagium unius ſpeciei propagetur ad aliam ſpeciem; ſic videmus, canes & homines impune verſari inter boves & oves lue affectas. Cui quæſtioni ipſe Divus Hippocrat. lib. de flatibus N. 8. ſatisfacere videtur dicens: *differt corpus a corpore, natura a natura --- non enim omnium animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda ſunt alia aliis magis convenientia. Quando igitur aër ejusmodi inquinamentis plenus eſt, quibus humana na-*

tura offenditur, homines ægrotant; quando vero alteri cuipiam animantium generi aër inconveniens eſt, tum morbus illud genus corripit. Ex quo patet, quod alia ſint ſeminia in contagio, quod homines, & alia, quod bruta afficit; ſed de his plura in ſectione de rubigine dicemus.

Aſt, dices ex obſervationibus conſtat, contagia ab una ſpecie in aliam ſpeciem tranſiiſſe ut in ephemerid. dec. 2. ann. 7. obſ. 192. Item cent. VIII. obſ. 44. Item Silius Italicus de peſte carthaginenſi lib. 14.

vim primi ſenſere canes, mox nubibus
atris
fluxit deficiens penna labente volucris.

Similem contagionem deſcribit Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 9. quæ primo equorum, bovumque armenta invaſit, mox pecudes, & alia quadrupedia aggreſſa eſt, dein paſtores, & colonos attigit & totum Romanum agrum pervagata, urbem Romam

mam invalit. Adeoque ex his, aliisque, quas hic præterire oportet, obſervationibus, videtur idem ſpecie miaſma contagioſum ab una ſpecie ad aliam tranſiiſſe.

CVIII.

Item quotidie fere in praxi obſervamus, unum miaſma contagioſum cum altero conjungi, aut in alterum degenerare; ſic ſæpe videre eſt miliaria exanthemata cum variolis, morbillis, petechiis, aliisque conjungi, & eundem eodem tempore affligere ægrum. Item ſcabies, aut ulcera de repente ſiccata, & retro pulſa in miliaria degenerare ſolent. Adeoque ſignum eſt, eandem eſſe ubique cauſam materialem, & ſecundum magis tantum & minus differentem.

CIX.

Ad primum reſpondemus: hoc tempore vix aliquando aut ſaltem rariſſime obſervari, luem ab una ſpecie ad aliam tranſire; ſi tamen aliquid ſimile contingat,

gat., dicimus, non esse eandem specie causam materialem contagii sed aliam & specie diversam, quæ ex diversis causis corporibus communicatur, aut si illis jam inest, evolvitur, & in actum deducitur.

CX.

Ad secundum respondemus: sæpe contingere, ut exanthemata miliaria præcipue cum variolis conjungantur, aut easdem subsequantur; adeoque dicimus, talem causam materialem variolarum, & miliarium posse esse eandem specie, & posse etiam specie differre; si enim experientia constaret, quod a tali materia miliarium sive per inoculationem, insitionem, aut quacunque alia ratione alteri corpori communicata, non variolæ sed ipsa miliaria propulularent, in tali casu diceremus, hanc materialem causam miliarium esse specie diversam a variolosa, adeoque propria ejusdem seminia in corpore jam latuisse, & tandem per diversos motus febriles

evoluta esse, quemadmodum hoc videmus in pleuritide, & peripneumonia, aliisque, quæ non discutiuntur, inflammationibus fere quotidie contingere.

Si vero constaret, quod hæc materia miliarium, quacunque ratione alteri corpori communicata, tandem in variolas degeneraret, in tali casu nos diceremus esse eandem causam materialem, & quidem variolosam; adeoque differentiam nullam intercedere nisi quoad ipsam faciem extrinsecam, quæ speciem mutare non potest. Hæc vero differentia extrinseca derivari potest primo a tempore morbi, quo in conspectum venire solent exanthemata, secundo a loco, in quo talia propululare consueverunt; quoad primum, notum est practicis, exanthemata miliaria supervenire ægris, a variolis tanquam principe morbo vix non jam exhaustis, ubi inquilini humores jam deficiunt; adeoque deest humidum, ut in tantam eleven-

tur

tur molem. Interim hæc differentia dependere poteſt etiam a loco, ſeu a vaſis, in quibus talium humorum ſtaſes contingunt; clariſſimam inſtantiam habemus in materia contagioſa venerea, quæ pro diverſo tempore morbi, & loco, etiam diverſam faciem externam repræſentat, ſic in principio gonorrhææ alba, dein flava, tandem, ſi diutius duraverit, & virulenta evaſerit, viridis conſpicitur; item aliter ſe habet illa materia venerea, quæ in facie, aut membro virili per modum ulcuſculorum videtur, quam illa, quæ diverſas glandulas per modum bubonum, ut in inguine occupat. His non obſtantibus, eſt tamen eadem ſpecie materia venerea.

Hoc ipſum videre eſt in furunculis, qui variolis quandoque ſupervenire ſolent, & ægris plus moleſtiæ, quam periculi inferunt; nam ſuppurati, & aperti magnam

ma-

materiæ purulentæ quantitatem fundunt. Hanc autem materiam furunculorum nihil esse judicamus, quam materiam variolosam a suppuratis variolis per vasa absorbentia peripheriæ corporis ad massam sanguinis delatam, atque una cum humoribus circulantem, & per modum criseos ad superficiem corporis depositam; si enim isti furunculi, qui variolis superveniunt, & eorum pus, quoad externam tantum faciem considerentur, vix aliqua observari poterit differentia ab aliis furunculis, qui a materia variolosa non dependent, cum tamen specie inter se differant; nam a primis judicamus variolas ultro propagari posse, quod ab aliis fieri non poterit. Igitur quemadmodum nec in animalibus, nec in vegetabilibus aliqua levis externa differentia, aut similitudo speciem constituit, aut variat; idem dicendum erit in nostro casu. Etenim experientia constat eadem specie vegetabilia, & animalia

propter

propter diverſitatem loci, & aëris diverſam aliquantum faciem præſeferre.

CXI.

Verum ſi quis laboraret, ut noſtris dictis aſſentiatur, facilius concipiet varias in materia contagioſa occurrentes mutationes, ſi perpenderit rite mirabiles metamorphoſes, quas in minimis inſectis, quin imo & in vegetabilibus contingere obſervamus; poterimus propter quendam analogiſmum multa phænomena de contagio in genere, & in particulari reſolvere, & dilucidare. Sic in animalibus videmus multas, & mirabiles metamorphoſes ſæpiſſime evenire; quemadmodum vermiculi, qui frumenta, & circumpoſita tabulata exedunt, fiunt tineæ volantes, iſtæ deponunt multa ova, ex quibus dein prædicti vermiculi evolvuntur. Pulices ponunt ova, ex his prodeunt vermes, & ex vermibus pulices. Item varia erucarum genera transformantur in muſcas, & ex ha-

rum

rum muſcarum ovis itidem erucæ evolvuntur, quam plurima alia fiunt Nymphæ, chryſalides, quorum aliqua citius, alia tardius evolvuntur; ſic dum aqua, aut aliud fluidum putrefit, diximus evolvi quam plurima animalcula, quæ, ſucceſſive dum adoleſcunt, adſcitis alis, in aëre ſuum quærunt domicilium.

Item conſtat ex obſ. Valiſneri, vermes equorum in chryſalides, & has in muſcas degenerare. Plures ſimiles metamorphoſes legi poſſunt apud Clariſſimos Loewenhæk, Schwamerdam, Reaumur, Leſſer, ſed præcipue in elegantiſſimo tractatu expertiſſimi Domini Gœdart gallico ſermone edito.

CXII.

Aſt tales metamorphoſes legimus etiam in antiquiſſimis autoribus, ut Ariſtot. & Ovidio. ſic Ariſtot. L. V. H. A. CXIX. *longo poſt tempore putamine rupto avolant*

inde animalia pennigera, quæ papiliones vocamus.

Item Ovid. metamorph. lib. V. de metamorph. insect. ita habet:

Quæque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ (res observata colonis)
Ferali mutant cum papilione figuram;
Nonne vides, quos chara tegit sexangula fœtus
Melliferorum apium sine membris corpora nasci
Et serosque pedes, serasque assumere pennas?

CXIII.

Item secundo observationibus constat, quod, dum talia insecta se in nymphas condunt, seque plus minus denso, & duro obvolvunt putamine, aliqua eorum citiùs, nimirum intra aliquot hebdomadas, alia tardius, intra aliquot menses, quin imo intra annos, rupto prædicto putamine evolvantur, & in papiliones aut alte-

rius

rius generis insecta degenerent; sic omnium, qui observationibus microscopicis operam navarunt, repetitis experimentis constat, quod semen ante pubertatis annos animatum, seu vivis vermiculis refertum, non observetur; cum tamen hoc ipsum semen in genitore, a quo derivatum erat, multos ante annos animatum fuerit; adeoque signum est, tales vermiculos, sive sub specie nymphæ, sive ovulorum, diu delitescere, antequam animentur. Idem observamus in miasmate v. g. pestilentiali, venereo, podagrico, hydrophobico, aliisque, quæ diu inertia, antequam evolvuntur, latere possunt.

CXIV.

Observamus tertio, quod animalia bruta majora devorent minora; quin imo hoc ipsum observamus etiam in minimis; sic vermiculi, qui microscopio in tartaro dentium observantur, delentur a vermiculis acetis vide Loewenh. Arcana nat.

detecta p. 43. Talia plura apud prædictos clarissimos autores legi possunt. Quinimo talem antipathiam intra multa vegetabilia videmus. Act. Erud. Lips. 1689. p. 343.

CXV.

Observamus quarto, quod quædam insecta deponant sua ovula ad corpus aliorum animalium, ibidem fovenda, ac tandem evolvenda, quæ ratio aliquibus imposuit, ut crederent, unum animal in aliud mutari, cum tamen nonnisi fotum, & nidum pro evolutione præstiterit; sic dantur quædam muscæ, quæ equis ad anum deponunt semina, quæ, dum ibidem evolvuntur sub specie vermiculorum, se in intestina insinuant. Vide Reaumur Tom. IV. p. 11. m. XII. Item est genus muscarum, quæ ichneumones vocantur, istæ deponunt ovula ad corpus aranei, & erucarum; talia ova pariter ibidem foventur, & excluduntur, sed ut breviter efferam,

quod

quod omnes norunt: nimirum vix aliquod animalium genus esse, in quo & ex quo non propululent diversa insectorum genera; quin imo ipsa insecta habere alia insecta a supradictis clarissimis autoribus demonstratum & omnibus notum est. Ast nihil in natura mirabilius invenio, quam quod Nieremb. hist. nat. exot. lib. X. cap. 14. affert; asserit enim, dari in Brasilia certum avium genus tuputa dictum, quæ vivæ totæ vermibus farciuntur, has pro carne habent, his singula membra imbuta sunt, præter ossa & pellem nihil carneum habere videntur, cutem densis exornatam pennis perforare non observantur. Unde in omnibus his & similibus casibus admittere debemus talia seminia ibidem deponi, aut jam illis inesse, & suo tempore ibidem evolvi.

CXVI.

Tandem quinto observamus, in eodem solo diversæ speciei vegetabilia evolvi, &

crescere; item constat, ejusdem speciei vegetabilia habere alias species sibi subordinatas; sic dantur diversa poma, pira, cerasa, mala, sunt enim alia dulcia, alia acida, alia vinosa &c. quin imo observantur etiam in vegetabilibus diversæ contingere metamorphoses; scilicet quasdam antiquitus cognitas plantas nunc desiderari, novas vero & alias incognitas exoriri, & quandoque degenerare A. E. Lips. 1686. & 1687. p. 106. Ipse Eruditissimus & in botanicis acutissimis Linnæus admittit non tantum in animalibus, sed etiam in vegetabilibus species spurias, seu hibridas, quæ habent propria seminia, ut diutius in natura perdurare possint. Talis est v. g. peloria, quam ex linaria derivat, dum nimirum stigma linariæ alterius plantæ semine conspergitur.

CXVII.

Notabilis degenerationis vegetabilium casus legebatur in publicis ephemeridibus

anni

anni 1758. nimirum grana avenæ ſata in verum triticum degeneraſſe, quod taliter contigiſſe fertur: Pauper ruſticus in æſtate avenam ſeminavit: hic ut ſua armenta paſceret, virides in eodem agro protuberantes prominentias reſecuit, quod fere ſingulis quatuor aut quinque hebdomadis ad ternas uſque vices repetiit; ſicque ſuo tempore non avenam, ſed verum triticum magna cum ſui admiratione collegit.

Idem experimentum, & eodem modo & cum eodem effectu probatum fuit in Hollandia Harlemi a Domino Sypenſtein conſiliario, & pro illo anno ſocietatis ſcientiarum ibi erectæ Præſide.

CXVIII.

Interim ſi experimentum, ut nobis oblatum erat, ita ſe habet, haud crediderо, ſemina avenæ in verum ſecale degeneraſſe, aut mutata fuiſſe, ſed ſi mihi liceat conjecturare, crediderim potius in uno ſemine ſæpe, aut ſaltem aliquando contine-

ri plura alia ſemina ſpecie diverſa, pro diverſitate circumſtantiarum quandoque evolvenda. Hoc docent morbi hæreditarii, ubi in ſemine humano eorum etiam ſemina continentur. Sic ſemina v. g. tritici cætera ſaluberrimi, ſi ſint in vicinia alterius tritici rubiginoſi, confeſtim inficiuntur miaſmate rubiginoſo, ut, ſi talia ſeminentur, triticum exinde rubiginoſum evadat. Idem dicendum eſt de illis inſectis, ut tuputa, quæ verminoſa oriuntur & vivunt. Item conſtat, grana chermes nihil aliud eſſe, quam cumulum vermiculorum. Grana ſeu ſemina piperis videntur pariter in ſe continere ſeminia vermiculorum, quia macerata in aqua copioſiſſima talia exinde evolvuntur. Unde non immerito videtur Buffonius opinari, omnia vegetabilia eſſe animata.

CXIX.

Ex his, aliisque ſimilibus obſervationibus, quæ tam in regno animali quam in vege-

vegetabili evidenter contingere videmus, possunt propter paritatem rationis multa corollar a, quæ ad enodandas quam plurimas & difficillimas de contagio quæstiones inservirent, deduci; ut si quæras.

CXX.

Quare miasmata maligna tamdiu inertia persistere valeant, ut in hydrophobia, podagra, lue venerea, aliisque similibus observare est? quæ multos annos innocua, & inertia in corpore latere, & tandem multos post annos seris in nepotibus in actum deduci & efflorescere videmus; quin imo exinde explicari potest, quomodo certi morbi contagiosi, ut lepra, variolæ, lues gallica per multa secula silere, aut saltem vix sensibiliter se explicare valeant: etenim ex nostra, quam struimus sententia, certum est, omnia morborum contagiosorum seminia ab initio creationis jam extitisse, & probabiliter primis seculis, quamvis nullam eorum memoriam,

ſi peſtem excipiamus, habeamus, tam funeſta, quam nunc ſævitie genus humanum afflixiſſe; tempore autem Hyppocratis, & luem gallicam & variolas vix ſenſibiles fuiſſe; ita ut adhuc dubitem, an hæc Divo Hippocrati nota fuerint, nec ne. Sicut enim lepram, elephantiaſim rariſſimum morbum hoc tempore dicere debemus, qui tamen priſcis temporibus, ut patet ex ſacris literis & Hipp. communiſſimus erat affectus; ea propter etiam autores vix hoc tempore de ejus cura ſolliciti eſſe ſolent; Idem dicendum erit de variolis, & lue venerea tempore Hippocratis; ſi enim tunc iſti morbi, ut nunc ſæviiſſent, vix credibile eſſe poteſt, ut ſolertiſſimus Hippocr. qui alios morbos tam accurata ratione deſcripſit, hunc principem & tam funeſtum morbum vix ſuperficialiter tetigiſſet.

CXXI.

CXXI.

Experientia itaque docet, lepram, quæ quondam communiſſimus fuit morbus, hoc tempore ita deficere, ut vix ejus ſuperſint veſtigia. Item conſtat, quod lues venerea, quæ in ſui exordio tam contagioſa, funeſta & plerumque lethalis fuit, nunc potius cum incommodo, quam cum periculo ſua decurrat tempora; nam primis illis temporibus quam citiſſime pervadebat, & corrumpebat omnia membra, quæ nunc genitalium ſede contenta per modum gonorrhææ ſuum abſolvit decurſum; neque enim hoc tempore tam facile contingit, niſi præpoſtere tractetur, ut reliqua aggrediatur membra. Unde ſperandum eſt, fore, ut brevi hoc malum, uti ante plura ſæcula, ſileat, aut ſaltem inſenſibiliter gliſcat, quod jam dudum in votis & in auguriis erat expertiſſimi Aſtrucii.

CXXII.

CXXII.

Talia decrementa obſervantur pariter in aliis, ex quibus vulgo dicimus, naturam in ſuis operibus deficere; ſic legimus Eſdræ Lib. 4. C. 5. *conſidera ergo & tu quoniam minori ſtatura eſtis præ his, qui ante vos; & qui poſt vos; minori quam vos, quaſi jam ſeneſcentes creaturæ,*

Item Juvenalis, & Homerus 1. & 12. Iliade.

Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero,
Terra malos homines educat atque puſillos

Item Lucretius.

Jamque adeo fracta eſt ætas, effætaque tellus,
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit.
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Item

Item ante Hippocratem, & medente illo, corpora tanto pollebant robore, ut illis non tantum integris & ſanis, ſed etiam ægris veratrum ſine omni noxa propinaretur; aſt jam Galleni tempore robur illud decreſcebat, & Gallenus ipſe textu 29. & ſequentibus conqueritur, miraturque, veratrum ab Hippocrate febrientibus præſtitutum fuiſſe, dicens: *nos vero neque integro homini dare audemus.*

CXXIII.

Hæc & ſimilia plura non aliunde facilius quam a ſucceſſiva ſeminis evolutione intelligi, & comprehendi poſſunt; etenim aliqua eorum, uti jam ſuperius diximus, citius, alia tardius, ordine a Creatore præſtabilito evolvuntur; alia vero propter nimias & frequentes evolutiones decreſcunt, aut plane jam deſiderantur. Unde ratio reddi poteſt horum, quæ a medicis practicis in morbis contagioſis obſervantur; ſic Sydenham obſervat, quod morbi epidemi-

demici contagiosi suis sub initiis soleant furere, tandem vero successive decrescere. Quod Plinius Lib. 7. C. 16. quam optime expressisse videtur, dum ait: *in plenum autem cuncto mortalium generi minorem in dies fieri, propemodum observatur: rarosque Patribus proceriores consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergat ævum.*

Hoc experiuntur coloni in seminibus vegetabilium &c. vide §. CXXVI.

CXXVI.

Posuit enim adorabile & omnipotens Numen, quemadmodum omnibus creaturis in earum mutationibus, ita vel maxime omnibus seminibus statas, & præstabilitas quasdam leges, ut aliqua earum longe citius, alia tardius evolvantur, & in actum deducantur, nam superius jam ostendimus, omnia semina tum animalium, cum vegetabilium, quæ hoc tempore evolvuntur, in primis illis jam seminibus a Deo creatis

con-

contenta fuiſſe. Aſt quare hæc ſemina non jam ante mille & plures annos fuerint evoluta, aut quare non aliquot ſeculis tardius, vix alia, niſi quam nos adduximus, ratio reddi poteſt. Acutiſſimus Hartſækerus credit, quod ſeminum ſucceſſiva extricatio, & evolutio ex primigeniis ſuis ſeminibus ſe habeat, ut fructus ex ſuis arboribus, quorum primo illi, qui maturiores ſunt, decidere ſolent.

CXXV.

Ex ſupra dictis obſeruationibus facilius etiam concipi poteſt, quare unum miaſma contagioſum videatur ſæpe in aliud degenerare, aut cum alio conjungi, aut per modum cujuſdam antipathiæ alterius conſortium abhorrere; ſic non una vice vidi, præſentibus variolis ſcabiem fugatam fuiſſe, aut dixero potius ſiluiſſe; nam diſſipatis variolis poſtliminio ſcabies rediit, & eadem pertinacia, ut prius, ægros affligere ſolebat.

CXXVI.

CXXVI.

Hoc ipſum experti ruricolæ in vegetabilibus, & animantibus obſervant, quod in ſylva funditus exciſa & deleta non amplius ejusdem ſpeciei, ut prius, ſed alterius vegetabilia propululent.

Item quod peregrina ſive ſemina ſive animalia in alienas terras allata ſucceſſive degenerent, decreſcant.

Pariter ex his ratio reddi poteſt, quomodo lues brutorum in homines, & viciſſim, aliquando tranſire dicatur, quod factum fuiſſe in ephem. Dec. 2. ann. 7. obſ. 192. p. 363. item cent. VIII. obſ. 44. p. 319. & alibi legimus. Exempla hæc credo oppido rara ſunt, ſi tamen aliquando obſervantur, non erunt eadem ſpecie ſeminia morbi contagioſi ſed alia, & ſpecie diverſa, uti hoc ſuperius jam inſinuatum erat. Item facile concipere poſſumus, quare ipſa contagia videantur quaſi a ſeipſis aliquando differre; ſic obſer-

vationibus conſtat, unam peſtem alterius eſſe genii ab altera, & diverſam medendi methodum requirere; etenim §. CXVI. jam diximus, in vegetabilibus inveniri diverſas ſpecies ſubordinatas ad eandem ſpeciem reducibiles.

CXXVII.

Tandem patet ratio, quare non ſemper, dum tempeſtas humida pluvioſa, & nebuloſa dominatur, morbi contagioſi graſſentur, quia aër humidus non ſemper ſecumfert ſemina verminoſa, & quamvis diceremus, quod ſemper talia ſecumferat; erunt tamen ut plurimum talia, quæ machinæ humanæ communia & familiaria ſunt, ut hæc nullum ex his detrimentum exſpectandum habeat; ſic quotidie & quolibet vix non momento temporis quam plurima muſcarum, aliorumque inſenſibilium inſectorum ovula cum aëre eſculentis & potulentis abſque omni ſanitatis detrimento deglutimus; item videmus bruta myriades animalculorum &

ovulorum una cum diversis liquidis stagnantibus ex cloacis pariter sine sensibili sanitatis dispendio haurire. Clariss. Loewenh. in suis arcanis naturæ rationem hujus observationis fundat in eo, quod credat talia animalcula, & seminia non transire ad sanguinem; verum pace tanti viri dixerim, potius hoc contingere, quia talia ita familiaria & homogenea humoribus redduntur, ut corporibus tam facile nocere non valeant.

Hujus afferti ratio fundatur in aliis observationibus; sic notum est, Turcas, Persasque ad unam alteramve drachmam opii ferre posse, quod nostratibus ad unum alterumve granum exitiale esse potest.

CXXVIII.

Ex quibus colligimus, quod seminia, quæ morbis contagiosis inducendis paria sunt, debeant esse quasi exotica & peregrina, nostrisque humoribus heterogenea & infesta; sive hæc ab externo ad-

veniant, five in noftro corpore jam præexiftentia a certis caufis evolvantur, & in actum deducantur.

CXXIX.

Ex antea dictis ultro colligimus, quare morbi contagiofi ad certum tantum gradum in illo, quod prehendunt, fubjecto multiplicari foleant, quamvis in aliis fere fine fine multiplicari & propagari poffint; fic videmus, variolas in illo, qui illis laborat, ad certum tantum numerum multiplicari, quamvis illæ in aliis fubjectis ultro multiplicari poffint. Cujus ratio ex jam dictis fumi poteft, quod talia feminia corpori, quod iis afficitur, jam familiaria reddi videantur; alias talis variolarum multiplicatio, & evolutio fine fine in eodem deberet fuccedere corpore.

Et hæc forte unica eft ratio, quare is, qui femel variolis laborat, ab eis impofterum plerumque liber degere obfervetur.

CXXX.

Huc etiam poteſt referri illa notabilis obſervatio, qua conſtat, quod illi, qui lue celtica, aut Gonorrhæa ſæpius laborarunt, quamvis per appoſita remedia ſanitati reſtituti eſſe videantur, tamen miaſmatis venerei reliquias inſcii in ſinu ſuo foveant; quia ſi hi uxorem, de cujus pudicitia certo conſtat, ducant, contingit, ut uxor prædicto afficiatur contagio, ſano perſiſtente aliquamdiu marito, qui, dum eadem in ſe perſentit incommoda, credit imaginaturque ſibi violatam ab uxore fidem; uxor vero ſuæ conſcia innocentiæ cauſatur hujus nefandi criminis maritum. Ex quo dein tot jurgia, tot tricæ inter matrimonio junctos exurgere conſueverunt; ſimilia videri poſſunt apud Fonſecam, Mercurialem, Fernelium, item Rejes camp. elys. jucundarum quæſt. 60.

Hoc

Hoc autem non nisi ex nostris principiis deduci & concipi potest; quia talia miasmata venerea marito ita iam reddita sunt homogenea & familiaria, ut sanitatem non lædant, quod ita se non habet respectu uxoris.

CXXXI.

Tandem quæstioni quartæ, quare nimirum materia contagiosa sit tam facile communicabilis, & multiplicabilis? videmur pariter ex jam dictis satisfecisse, dum ostendimus, hanc materiam ex suis seminiis evolvi, & multiplicari ac ultro propagari eadem ratione, qua vegetabilia propagantur, & multiplicantur; ostendimus autem, in unico semine contineri innumerabilia alia evolubilia, atque omnia, quæ ad hæc usque tempora in rerum natura extiterunt, in primigeniis illis seminibus contenta fuisse; quæ omnia perquam apposite nostræ quæstioni applicari possunt.

CXXXII.

Nihil vero evidentius ex nostra sententia deducitur, & majore cum fundamento ostendi potest, quam causa, cur, & quomodo humores nostri corporis cætera sanissimi, si vel a minima alicujus contagii scintilla afficiuntur, extemplo infici, & conspurcari soleant; ut medici practici sæpe mirentur v. g. in variolis brevissimo tempore sanguinem fieri spissum, & lardaceum, qui paulo ante sat laudabilis esse videbatur. Si enim illa, quæ superius de aqua nuceriana corrupta & de aqua mari vecta & putrida reddita diximus §. LXXIII. in memoriam revocemus, ratio eorum, de quibus hic quæstio est, facile reddi poterit; sicut enim aqua nuceriana alias limpida & insipida, si putida fiat, nauseosa, fœtens & turbida evadit; idem dicendum est de humoribus nostri corporis putrescentibus; quia sicut prædicti effectus in aqua nuce-

riana

riana putrefcente ab innumerabilibus animalculis evolutis, eorumque ovulis & excrementis dependent; ita etiam admittere debemus, quod humores noftri corporis putrefcentes a diverfis animalculis evolutis, & ab his copiofe depofitis excrementis, & ovulis inficiantur, & confpurcentur, ficque propter hæc heterogenea ipfis immixta corpora inepti ad liberam circulationem reddantur.

CXXXIII.

Hoc ipfum proh dolor! omnes medici practici in infantibus, vermibus inteftinalibus affectis quam evidentiffime obfervant, & nobifcum fateri debent, quod illa febricula, quæ in talibus cafibus miferos infantes depafcitur, dependeat ab illis vermium excrementis ad inteftina depofitis, & magnam partem ad maffam fanguineam delatis, quæ ibidem tanquam corpora heterogenea fanguini mixta; partim ftimulo, partim minus proportionato fuo vo-

lumine motus febriles excitant, & liberam humorum circulationem interturbant; talia heterogenea corpora a viribus vitæ, seu oscillationibus vasorum conquassantur, atteruntur, si fieri potest, digeruntur, coquuntur, ut per unam alteramve viam evacuari possint; illa vero, quæ in minimis vasis peripheriæ corporis subsistunt, sub specie diversarum efflorescentiarum, seu exanthematum, in conspectum veniunt, quæ exanthemata, cum nihil aliud sint, quam miasma, seu aliquod congestum verminosum, facile concipi potest, quare sint communicabilia, & multiplicabilia; & ut alias dici solent, contagiosa.

CXXXIV.

Hic posset difficilis, in qua non omnes conveniunt, proponi resolvenda quæstio, an nimirum putredo, & contagium sua seminia ab externo semper adipiscantur, an vero talia ipsis corporibus insint, & data occasione aliquando evolvantur?

CXXXV.

CXXXV.

Noſtra hac ſuper quæſtione eſt opinio, talia ſeminia non ſemper advenire ab externo, ſed ipſis corporibus ineſſe, &, ſi requiſitæ circumſtantiæ adſint, ſæpe evolvi & propagari. Hujus afferti ratio eſt primo: quia microſcopia docent, quod fere in omni liquido, & ſolido, putreſcentibus, alia quoad figuram, magnitudinem, partiumque conſtituentium diverſitatem obſerventur animalcula; ſic alia videntur eſſe in vino & aqua, & alia in aceto; item alia in maceratione piperis, quam in granis v. g. frumenti, aut alterius cujusque ſolidi vegetabilis. Idem dicendum eſt de aliis.

Item experientia conſtat, quod, ſi prædicta vegetabilia macerentur in aqua, longe plura, & diverſa, quam in ſola aqua, obſerventur animalcula, adeoque ſignum eſt, quod talia ſeminia verminoſa jam cuilibet vegetabili inſint.

CXXXVI.

Hic poſſet aliquis dubitare, qua ratione ipſis vegetabilibus inſint? Nos reſpondemus, talia ſeminia verminoſa fere eodem modo ineſſe ipſis vegetabilibus, uti ſuperius diximus, illa ineſſe ipſis lacubus exſiccatis, quæ adveniente humido animantur, & multiplicantur, ut ſuperius jam dictum eſt.

CXXXVII.

Ex quo fundamento jam ipſe Doctiſſimus Buffonius indicavit omnibus vegetabilibus ineſſe quandam materiam animatam (*certaine matiere animée*: cujus ulterior ratio deſumitur ex experimentis CL. Woodwardi, aliorumque ſupra nominatorum Authorum; ex quibus conſtat, quod liquidum aqueum, dum ad putredinem diſponitur, exhibeat aliquam materiam virideſcentem, quæ ex illorum obſervationibus nil aliud eſt, quam congeries minimorum animalculorum, eorum-

que

que ovulorum; & quod hæc materia viridefcens inferviat pro nutrimento & augmento plantarum. Quapropter quilibet ex hoc unico experimento facile comprehendet, omnibus vegetabilibus ineffe aliquam materiam animatam, a qua nutriuntur & augentur; iisdem enim conftare debent, quibus nutriuntur.

CXXXVIII.

Item experientia cuilibet eft nota, quod materia putrida five animalium, five vegetabilium, tum pro nutritione, cum pro fructificatione vegetabilium plurimam conferat fymbolam, quæ materia putrida, ut jam oftendimus, ferta eft feminiis verminofis; ex quo iterato conftat, vegetabilibus talem materiam animatam inesse debere. Accedit, quod diverfa vegetabilium producta, ut grana, chermes, cochiniliæ &c. nil aliud fint quam feminia verminofa. De his & fimilibus legere poteris B. L. Needam. p. 99. Rayum de

hift.

hiſt. plantarum Lib. XXV. C. 6. de ilice. Item Henricum Baker p. 81. 79. 90. aliosque jam ſuperius nominatos autores.

CXXXIX.

Item hoc ipſum de tuputa jam diximus. His, quæ de cauſa materiali contagii in corporibus jam latentis dicta ſunt, poſſunt illi mirabiles effectus, qui a terrore aut forti imaginatione ſæpe dependere obſervantur, adjungi. Similes obſervationes apud quam plurimos Authores legi poſſunt; ego ipſe, a terrore & forti imaginatione variolas, aut alium affectum contagioſum exortum fuiſſe, ſæpe obſervavi, ſed ut alias obſervationes, quæ quidem mihi, ſed non aliis notæ ſunt, prætercam, unicam adducam.

CXL.

Caſus, qui Excellentiſſimam piæ memoriæ Dominam Comitem de Milleſimo, natam Comitem de Corſchenski in flore juventutis non pridem hic Viennæ denatam,

tam, concernit, eſt longe majore admiratione dignus, quam quisque alius: Hæc Nobiliſſima Domina tanta vehementia & inopinate impegerat in canem, ut in terram prolaberetur; exinde terrefacta ſtatim male valebat, dixitque ſe morituram, eo quod ante aliquot annos illi mors ex fortuito caſu propter canem prædicta fuiſſet; quod etiam proh dolor evenit; nam corripiebatur febre maligna exanthematica, & mortua eſt. Si de his, ſimilibusque caſibus ex jam datis de contagio regulis ratiocinari licet, hoc quidem facile evinci poteſt, quod cauſa materialis talis contagii in corpore jam lateat, ſed qua ratione a terrore aut forti imaginatione in actum deducatur, majoris eſt momenti.

CXLI.

Si vis imaginationis verſatur circa aliquod determinatum exanthema, ut graſſantibus variolis circa variolas; tempore peſtis circa peſtem, & ſic de aliis, tunc

faci-

facilius mirabilis ille effectus concipi poterit; quia tunc certum mentis ſenſum, ſeu certam ideam ſequitur certus motus in noſtro corpore & in ſpiritibus; ut hoc clare in nævis maternis apparet, adeoque prædictus motus dirigitur ad illa ſeminia, de quibus eſt illa fortis idea & non ad alia; adeoque hæc commoventur, & in actum deducuntur; & non alia. Verum major eſt difficultas determinandi, quomodo hoc fiat, ſi imaginatio circa nullum ſimile exanthema verſetur; ut fit a repentino lapſu, caſu, magno ſtrepitu, exploſione inopinata tormentorum &c. ſi huic quæſtioni reſpondere debeamus, dicimus, quod in tali caſu, illa ſeminia, quæ evolutioni ſunt magis propinqua & vicina præ aliis commoveantur & efflorеſcant.

CXLII.

Diximus enim ſuperius, diverſa ſeminia corporibus jam ineſſe, quia alias

esset inconceptibile, quomodo fiat, ut consanguinei multis milliaribus ab invicem distantes eodem tempore, & eodem afficiantur contagio. Casus similis funestus ante triginta circiter annos hic loci contigit, & Nobilissimam familiam Dominorum Comitum de Curland prehendit, & funditus proh dolor! delevit; nam quinque horum Nobilium adolescentum diversis in prædiis multis leucis ab invicem dissitis commorantium eodem tempore, & eodem morbo, scarlatina maligna, infestabantur, & conficiebantur.

Similem casum legimus in Mangetti Bibliotheca practica de variolis; ubi frater Genevæ, soror vero ejus Hafniæ eodem tempore variolis laborabant.

CXLIII.

Ex quibus diversa possumus formare corollaria; v. g. notum est animalia maximam partem nutriri & augeri vegetabilibus, aliisque putridis aut ad putre-

di-

dinem dispositis; adeoque debere pariter ipsis animalibus plurima inesse seminia verminosa, iisdem enim constamus, quibus nutrimur, quæ data occasione sobolescere possint; quod patet si intime considerantes animalcula seminis masculini, desuper ruminemur, eorumque in originem indagemus, debebimus necessario admittere, vel quod talia producantur in nostro corpore de novo, quod supradictis contrariatur; vel quod ex seminiis in nostro corpore existentibus evolvantur. Quapropter mirari non debemus, corpora nostra ad putredinem ita esse prona & disposita; quod perspicacissimus ipse Boërhavius T. 11. operum chemicorum nobiscum sentire videtur, dicens: *omnis igitur materies corporea, quæ quondam constituebat corpora animantium, quæ unquam extiterunt, in aërem rapta fuit; si cadavera urerentur illico, si in campis detenta fuerint, lentius, si sepeliebantur adhuc tardius, atta-*

tamen tandem eo exhalaverunt. Quid ergo miri si & inde iterum pabulo antiquo congener materia corporibus idonea alimenta præbeat inde rursus nascituris.

CXLIV.

Ex quo colligimus hanc materiem putridam, & animatam transire ab uno corpore ad alia. Item colligimus talem materiam animatam ad putredinem dispositam ipsis corporibus jam inesse. Hoc clarius videmus in pleuritide, peripneumonia, aliisque similibus affectibus ad putredinem humores disponentibus, si enim in tali casu illud, quod restagnat non discutiatur, aut per sputum evacuetur, tunc semper magis corrumpitur, & putrefit, tandemque ad massam sanguinis resorbetur, & ad peripheriam sub specie exanthematum propellitur, in quo casu, si copiose, & plenarie talis eruptio contingat, per modum metastasis a parte nobiliore ad mi-

nus nobilem, fit cum euphoria; secus vero succedit, si paulatim, diversis temporibus, alia semper recens fiat eruptio; tunc enim signum est a parte affecta, & suppurata talem materiem corruptam continuo decedere, & ad massam sanguineam, atque ad peripheriam deferri; ex quo per intervalla febris augetur, vires minuuntur, morsque his laboribus succedit. Ex quo patet, quod hæc materia putrida, & animata in corpore generetur, & non aliunde adveniat. Hoc ipsum videmus sæpe in morbis calidis acutis, in quibus exanthemata evolvuntur. Hic unicam & notabilem in praxi medica observationem attingere debeo; quod nimirum ex mox antea dictis pateat ratio; quare illi præ aliis in morbis acutis periculosius decumbant, diversisque exanthematibus obnoxii sint, qui diversa, multiplici, & pretiosa ciborum, dapiumque miscella utuntur.

Plura alia ex noſtra de miaſmate verminoſo ſententia deduci & exponi poſſent, quæ ne diſſertatio in librum excreſcat, miſſa facimus; quorum plura inferius de rubigine attigiſſe juvabit. Interim hoc noſtros alleviat labores, quod ex his principiis diverſa arcana naturæ alias imperſcrutabilia, concipi, cognoſci, & dilucidari poſſint; quorum plura poſterior aperiet ætas.

CXLV.

Verum dices, quid ergo commodi, & emolumenti in Republica ex hac ita exaltata de contagio ſententia exſpectandum & ſperandum eſt? Reſp. multa exinde Reipublicæ commoda derivanda eſſe; nos ennumerabimus principaliora, minora quisque ſibi imaginari poterit.

CXLVI.

Primum commodum, quod ſalutem generis humani concernit, aperte patet

ex tot jam captis obſervationibus, & experimentis, quibus videmus morbos contagioſos, & putridos optime & efficaciſſime a remediis anthelminticis cicurari & tolli, de quibus jam ſuperius §. CV. dictum eſt; ex quo ſperandum eſt fore, ut impoſterum efficaciora, & certiora quam hucusque factum eſt, antidota adinveniantur, & approbentur, quæ ipſum miaſma contagioſum immediate attingant, infringant, aut plane deſtruant. De qua indicatione proh! dolor in praxi medica hucusque altum ſemper eſt ſilentium. Tota enim noſtra cura in morbis contagioſis verſatur tantum circa ſymptomata, ſeu effectus, qui a prædicto miaſmate contagioſo dependent, derelicta plane intacta principe talium morborum cauſa. Sic ſi v. g. variolis laboranti, aut laboraturo mederi volumus, reſpicimus tantum illam, quæ adeſt, febrem, ingentes calores, & univerſalem quaſi inflammationem, aliaque

ſimi-

ſimilia ſymptomata; ex quibus indicationes formantur, ut febris moderetur, calor temperetur, & inflammatio tam per venæ ſectiones, quam per copioſa & appropriata diluentia diſcutiatur, interim de miaſmate varioloſo omnes has turbas excitante nulla fit mentio, aut indicatio. A ſpina digito, aut alicui alteri parti infixa, fit pariter dolor, rubor, ardor, & inflammatio illius partis; in hoc caſu nunquid tutiſſima & breviſſima procederemus via, ſi prædicta ſpina extrahatur, aut deſtruatur, & iners reddatur; ſi vero intacta, & infixa relicta ſpina, parti inflammatæ mederi vellemus, utique a ſana recederemus indicatione? Eodem ſane modo procedendum eſſet cum miaſmate quocunque contagioſo, quod generi nervoſo & vaſculoſo infixum, & hærens prædictas in noſtro corpore excitat turbas; deberet enim aut deſtrui, aut ad aliquem locum pro ejuſdem evacuatione, & ex-

pulsione determinari. Aut, si hoc fieri non possit, ejusdem evolutio, & multiplicatio impediri. In his deberemus primo, dein in illis, quæ symptomata respiciunt, esse intenti. Verum quam parum hac in parte ad hæc usque tempora profectum sit, quisque rerum medicarum peritus non ignorat; interim æterna memoria dignissimus Boërhavius in tractatu de variolis, quasi ad miasma verminosum respexisset, tale remedium specificum, quod miasma verminosum immediate attingeret, in principibus anthelminticis seu in antimonio & mercurio, quærendum esse judicavit, aliisque in hoc indagandi aperuit viam, cujus sapientissimi consilii ratio non nisi in illorum eximia virtute vermifuga, & vermicidia fundari, & conquiescere potest.

CXLVII.

Ex hoc exurgit secundum emolumentum in praxi medica bene notandum, & ob-

obſervandum, quo docemur, quale quoad frigus, & calorem regimen in morbis acutis contagioſis tenendum. Nam quidam practicorum ſolent ſimiles ægros nimio fere ſuffocare calore, ſicque humores inquilinos, & laudabiles exprimere, & expellere. Alii vero nimis audacter ægros libero exponunt aëri, ſicque & morbum, & periculum augent. Ex noſtra vero ſententia optima patet methodus, quam in ſimilibus caſibus obſervare debeamus, etenim ſuperius jam diximus, tam vegetabilium quam animalculorum evolutionem, & multiplicationem per diverſos caloris gradus augeri & minui poſſe. Sic diximus non tantum ſub æquatore, ſed etiam in noſtris regionibus pluvias calidas & flantibus auſtris cadentes eſſe verminoſas, quales non ſunt, ſi frigidæ, & flantibus ſeptemtrionalibus ventis decidant.

Item experientia conſtat, peſtem, quæ urgentibus æſtivis caloribus nimium

multiplicatur & propagatur, appropinquante hiberno frigore deficere aut plane silere.

CXLVIII.

Unde ex his tria in praxi bene observanda deduci debent: Primum; quod gradus caloris cubiculi, in quo æger febre acuta laborans, degit, debeat esse grad. circiter 15. therm. Ram. seu graduum therm. Fahrenheit. 65. aut 66. si enim cubiculi calor excedat prædictos gradus, disponuntur corpora ad majorem putredinem, adeoque ad majorem seminis verminosi evolutionem.

CXLIX.

Secundum est, quod aër cubiculi, in quo ægri febribus acutis laborantes degunt, sæpius renovari debeat, alias aër ipse putridus evadit; unde experientia omnium physicorum constat, quod animalia in aëre clauso nec sana nec diu in vita conservari possint.

CL.

CL.

Tertium est, quod tales ægri nimiis stragulis non tegendi, aut per diversa remedia calefacientia ad sudores adigendi, aut cogendi non sint, etenim experientia docet, hac ratione morbum pejorem, & exanthemata alias benigna, maligna reddi; quin imo homo sanissimus hac ratione morbum acutum inflammatorium, & exanthematicum contrahere potest.

CLI.

Memini funestissimi casus, qui 25. circiter ante annos ex hac præpostera methodo hic Viennæ contigit: nobilissimus Dominus de Porenstain inferioris Austriæ Regiminis consiliarius 30. circiter annos natus temperamenti melancholici, ad abigendos spasmos hypochondriacos, quibus sæpe affligebatur, ignoro an proprio, an alieno ex consilio, cætera sanus, se composuit ad lectum, ac triplo plus quam solito tectus, diversisque sudoriferis in usum

vocatis, nychthemeri ſpatio tantam ſudorum expreſſit copiam, ut mox exinde delirare, furere, & febricitare inceperit, ſecunda poſt decubitum die primo petechiæ, dein, purpura tam rubra, quam alba acceſſerunt; mox advocabatur ad ægrum Magnificentiſſimus piæ memoriæ de Carelli, dein Magnificus Dominus de Weber; ego vero diu noctuque ægro adſtiti. Verum quamvis ſat mature repetitæ ſanguinis miſſiones, copioſiſſima emulſa, diluentia, antiphlogiſtica, clyſteres emollientes præſtituerentur, patiens tamen ſemper pejus habuit, & convulſus mortuus eſt.

CLII.

Ex quo multa corrollaria deduci poſſunt; potiſſimum vero inde eluceſcit, quod materia contagioſa exanthematica non ſemper ab externo communicetur, ſed quod in noſtro corpore elaborari & tandem in actum deduci poſſit.

CLIII.

CLIII.

Item quod regimen calidum, a quo fluidiora, & tenuiora dissipantur, ad morbos calidos acutos inflammatorios disponat, & si tales morbi jam adsint, deteriores reddat; observante hoc, & multiplici experientia confirmante acutissimo Sydenham, qui toties & summa cum energia declamat contra regimen nimis calidum in acutis quondam usitatum. Talia legi possunt in aureis ejus operibus sect. I. c. 10. item sect. II. cap. II. sect. V. C. V. & VI. & alibi, sed præcipue in schedula monitoria de novæ febris ingressu. In his judicat morborum malignitatem sæpius a malo regimine, quam a morbi natura dependere dicens: *Quanto magis usu calefacientium actuantur particulæ calidæ, & spirituosæ tanto magis intenditur ea, quam habent, assimilandi facultas.*

CLIV.

CLIV.

Hæc methodus illis vel maxime, qui aut Sthalianæ, aut Sylvianæ hypothesi addicti sunt, in usu esse solet; etenim credunt, miasmata maligna non nisi per sudores expellenda, aut per terrea absorbentia destruenda esse; in quem finem diversa remedia calida sale volatili prædita, aut inertes terras, bolos, aliaque alexipharmacorum titulo insignita pharmaca, præstituere consueverunt.

CLV.

Tertium Reipublicæ commodum, quod ex nostra de contagio sententia resultat, concernit artem veterinariam; quæ brutorum morbis mederi docet. Sane satis mirari non valeo, quod talia, quæ non tantum Reipublicæ commoda, sed necessaria esse norunt omnes, passim stupidis, & indoctis veterinariis dirigenda committantur; qui neque anatomica neque animalem œconomiam, multo minus

morbos noverunt, quasi vero medicum, sive chyrurgum dedeceret tractare similia, quorum ipsum magnum Hippocratem non puduit. Sic Hippocrat. dum de luxatione agit, non tantum illas, quæ homines, sed etiam tales, quæ boves attingunt, pertractat. Item dum de internis affectionibus & proprie de aqua inter cutem tractat; ab his, quæ cultro anatomico in brutis fieri observavit, probat talia in homine quoque contingere debere; textus est tanta veneratione dignus, ut hic omitti non possit: unde N. 25. ait: *quod autem fiat etiam a tuberculo, aqua inter cutem testimonium habeo in bove, & in cane, & in sue: in his enim quadrupedibus maxime fiunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent, si enim dissecueris, citissime cognoveris; fluet enim aqua. Videntur autem talia multo magis in homine fieri quam in pecoribus, quanto etiam morbosiore diæta utimur &c.*

Item

Item Lib. 6. de morbo ſacro conſtat ab illo oves morbo comitiali denatas diſſectas, & apertas fuiſſe, ut cauſas, & ſedem morbi eo melius noſcere poſſet. Nihil dicam hic de Homero, de Virgilio, qui 2. Georg. lib. 3. item de Plinio, qui lib. 31. cap. 2. aliisque recentioribus, celeberrimis viris, qui de morbis brutorum tractarunt. Unde ut ſimilibus morbis melius obviam eamus, optimum fore judico, ſi quidam in arte experti Medici & Chyrurgi conſtituantur, qui aniſpicinam brutorum ex contagio denatorum ipſi aſſumant, & rite examinent; ad hoc ut morbo magis congrua remedia applicari poſſint.

CLVI.

Nullus eſt morbus, qui majorem in armentis ſtragem agat, & ex quo Reſpublica plus detrimenti perſentiat, quam ex contagio a triginta fere jam annis perdurante, videmus enim & lugemus diram ta-

talem luem armenta occupantem totam pervagare, & circumire Europam. Hunc in finem quam plurima tam prophilactica, quam curativa venditantur remedia; verum ad hæc usque tempora tam parum hac in parte profectum est, ut celeberrimus Lancisius in suo eruditissimo tractatu de bovilla peste credat, omnia, quæ nobis patent remedia plus detrimenti, quam emolumenti attulisse bobus.

CLVII.

Si vero ad illa, quæ nos de contagio in genere diximus, serio reflectamus, sperandum est, fore ut remedia tam prophilactica, quam curativa, quæ magis quam hucusque votis respondeant, adinveniantur. Etenim si omnia, quæ tam in lue contagiosa affectis, quam quæ in exinde denatis observantur rite, magna cum attentione examinentur, videbimus, & fateri debebimus, causam talis luis contagiosæ esse materiam animatam, seu putri-

dum

dum miasma verminosum; ne vero hæc, quæ statuo dicta, & asserta tantum, sed etiam probata videantur, adducam talia, quæ in similibus casibus videre est.

CLVIII.

Ex antispicina boum contagiosa lue affectorum, & denatorum observamus oris fauciumque ulcuscula, quæ usque ad ventriculum & pulmones se extendunt; hæc ulcuscula si armato oculo examinentur sunt plena vermiculis; qui dein alias etiam tam solidas quam fluidas partes occupant, & se multiplicando totam fluidorum massam inquinant, & conspurcant, eodem nimirum modo, uti de aqua purissima, & limpidissima nuceriana aëri exposita superius diximus; hanc brevi fieri turbidam, fœtidam, & innumerabilibus animalculis fœtam.

Hoc ostendit Rodius cent. 3. obs. 61. & 62. nimirum in bobus ex contagio denatis non tantum fluida, sed etiam solida

tere innumerabilibus vermiculis armato oculo visibilibus. Idem asserit Godefridus Bidloo, in ovino, aliorumque animantium sanguine dari animalcula, quæ multorum sunt morborum causæ.

CLIX.

Bernardinus Bono, Medicus Brixiensis in literis ad clariss. Valisnieri 1713. datis nostram opinionem confirmat, dicitque, se semper in sanguine contagio affectorum boum quam plurima vidisse animalcula; quod dein ipse nunquam satis laudandus D. Valisnieri in constitutione epidemica, & ut dicit, verminosa, quæ anno 1711. non tantum Ducatum Mantuanum sed etiam ditiones Venetas vexabat, a se constanter observatum fuisse, ait. Verminosum hoc malum solet alias vocari il mal del Formone, quod malidis nomine donari solet. In hoc malo quam plurimi vermiculi videntur occupare præ aliis partibus ipsum ventriculum,

 quem

quem rodunt, inflammant, ac tandem sphacelo afficiunt.

CLX.

Ejusdem fere generis sunt illæ observationes & relationes ex Germania ad eundem Celeb. Virum missæ, ex quibus constat pecora lethali contagio laborasse, cujus causa cum omnes lateret, sic omnia adhibita remedia huic malo tollendo imparia fuere, donec detectum fuerit, quod intra ungues bifidas se insinuent certi vermiculi, qui ibidem nidificando se massæ sanguineæ communicant, eandem inficiunt & destruunt; hoc malum dein, si mature opem ferebant, facile scarificationibus, ferro & igne tollebant. Huic consonant illa, quæ §. LXXIV. diximus. Unde patet, quod certa seminia verminosa unam potius partem præ altera ocupent, ibidem sobolescant, & tandem totam machinam destruant. Hoc enim contingere solet ambulantibus pedibus nudis per arenas siccas in Indiis;

solent

ſolent ibidem certi vermiculi ſe inſinuare plantis pedum, qui niſi mature abigantur, crudeliſſimam inferunt mortem. Hæc & ſimilia exempla in calidiſſimis provinciis rara non ſunt; nam in Africa, & aliis ſub Zona torrida regionibus talia quotidie videntur. Huc etiam referri poteſt obſervatio de Dracunculis, qui in putridis, & cœnoſis Guinææ littoribus, aliisque Æthiopiæ plagis, multos afficiunt, & interimunt; hi enim inter crurum muſculos ſedem figere ſolent, & ni tempeſtive, & caute apto inſtrumento, verticillo, ſimili eorum, quibus fides intenduntur, auferantur, ægris magnum dolorem afferunt & periculum.

CLXI.

Aſt quare aliunde ſimilia petimus exempla? utique in Germania nobis noti ſunt comedones, crinones, ſirones, a Senerto drachunculi vocati; qui ſuis excrementis maſſam ſanguineam inficiendo

miseros infantes exhauriunt, febrem certam inducendo tandem morasmo conficiunt. Talia in pluribus probatissimis autoribus legi possunt, sed præcipuæ in eruditissimo tractatu de vena medinensi, seu de dracunculis veterum a Clariss. Velschio edito.

Prætereo alias quam plurimas observationes Dominorum Cogrossi & Grossi, aliorumque expertissimorum virorum, qui in diversis brutis contagio affectis & denatis, semper & constanter talia seminia verminosa armatis oculis conspexerunt, unde ab his talia Eruditissimus D. Horatius Burgundius edoctus, composuit hoc in genere carmen elegantissimum, quod, sive styli elegantiam, sive Poëseos amœnitatem spectes, Virgilianis haud cedit; quare credo, neminem tœdebit hoc legisse:

CLXII.

Te quoque nunc canere docilis mansueta repando

sub-

Subdere colla jugo, ac stridentia volvere plaustra
Turba potens, facilisque putres invertere glebas.
Verum heu! dira tuos pestis populata penates
Excidium infandum miseris præsepibus infert.
Italiæ, vallesque cavæ, collesque supini
Insonuere olim crebris mugitibus, at nunc
Italiæ, vallesque cavæ, collesque supini
Conticuere, antris flet muta silentibus echo.
Cur tam fœda lues? stabulis cur serpere totis
Concessum? & curnam solis inimica juvencis?
Talia jactanti species pulcherrima Redi
Affuit ante oculos, Redi quem dexter Apollo
Et mutas agitare artes, & dulcis Etrusca

Pectere fila lyræ docuit, causasque repostas
Venari, & cedro dignis committere chartis.
Non tamen agnovi vultum, cum se mihi longæ
Solamen, comitemque viæ dedit arva petenti
Tiburis urbanis dentem apta retundere curis.
Alloquio sed iter dulci dum fallimus, ecce
Taurus Agenoreæ pulchro vectore puellæ
Pulchrior ante pedes amborum rura propinqua
Constitit aversatus, & ora madentia guttis
Grandibus attollens, visus miracula notæ
Implorare manus, singultibus ilia duxit.
Tum vero: quid me lacrymis moriture fatigas?

Redi

Redi ait; humanis ſi vos Deus uſibus aufert
Ulturus veſtro ſceleratas funere terras,
Quippe ubi nulla fides ſuperum, bella, impia bella
Æternis pugnata odiis, ſatis horrida nullo
Sanguine victa jacet, quamvis Aſtræa gradivo.
Et ſimul hæc, ſimul educit ſpecularia, parvis
Immodicam rebus conferre valentia molem.
Me neſcire diu non paſſa dioptrica vitrum:
Ergo libens oculos admovi, puſtula nudis
Invia luminibus viſurus ſi qua juvenci
De cute proſtaret manifeſti cauſa doloris.
Denſata horreſco referens, per colla, per armos
Inſectorum aciem, luſtro fœdisque choræis

 Pu-

Putrida ludentes circa convivia vermes.
Quam multæ, avulsum si caurus ab arbore pomum
Decussit, plenis cum ridet mitis in arvis
Autumnus, circum densantur: & agmine longo
Formicæ piceis infixæ dentibus hærent.
Deficiente vitro ne quidquam adnitor inermi
Usurpare oculo tenuissima corpora, namque
Mole sub exigua latitant, sensusque retusos
Vincunt, atque sui vestigia nulla relinquunt.
Tum sic me comes alloquitur. Tibi munere nostro.
Sævi permissum causas cognoscere morbi.
Scilicet ut pereunt vitiata teredine ligna,
Intereunt cariem postquam duxere juvenci;
Quæ simul ac cæcis furtim insinuata medullis
Fibrarum nexus occulto dente resolvit,

Non

Non montes, non prata juvant pinguiſſima læto
Gramine, non puris argentea flumina lymphis.
Tabentes nequidquam herbas incuſat arator,
Viroſas nequidquam auras, ventosque nocentes,
Fluminaque incertis nequidquam infecta venenis.
Quid quod ſcire licet, quare contagia totis
Graſſentur campis. Nempe irrequieta pererrat
Omnes turba locos, atque ova excludit ubique
In diram fœcunda luem, fraternaque mortem
Idcirco miſeris pariunt commercia tauris.
Ipſa juga, atque ipſum vermes contraxit aratrum,

Cunctaque lethifero scatuit vicinia tabo.
Vestibus imbibitum virus quin ipse colonus.
Inscius ad terras longinquo sole calentes
Detulit, atque gregem mortalibus inficit ovis.
Prima medela malo est flammis abolere relicta
Germina serpentis morbi, comburere caras
Agricolæ vestes, inopisque senilia tecti.
Pignora ne pigeat: tremulæ præsepia flammæ
Delabant atque omne domus vitium excoquá tignis.
Sulphuris ingrato quandoque abigentur odore
Hostes, nitrati lentoque volumine fumi;
Proderit, & pingui perfundere corpus amurca,
Vel grave morbosis hydrargiron indere fibris:

Nam

Nam veluti incautas volucres viſcum alligat, omnem
Exiguis adimunt inſectis pinguia motum,
Infirmosque ligant artus, anguſtaque replent
Oſtia nervorum, vitalis & aëris hauſtum
Impediunt patulis intruſa meatibus: Inde
Inſecta affuſo paſſim moriuntur olivo.
Denique cur ſolos perimat vis noxia tauros
Jam liquet. Ut tellus eadem non omnibus æquo
Seminibus gremio foret opportuna fovendis,
Quod rapidi ſoles aliis nocuere, nivoſus
Ægoceros aliis, & pigræ tempora brumæ
Vel ſaturæ ſalibus, viduæ vel ſulphure glebæ.

Sic

Sic insecta locis posuere cubilia certis.
Nec propriat mutare datur sine funere sedes;
Seu peregrinæ illis epulæ tenuissima vitæ
Flamina ruperunt, seu certum semina poscunt
Fermentum lactanda, aditum nimis arcta malignum
Seu vetuit textura cutis, seu ponere nidos
Discors mobilium impediit compago fibrarum,
Seu causæ id probibent aliæ; experientia fidis
Edocet indiciis, magnarum grandibus hærent,
Quæ pecudum membris insecta minuta vagantes
In pellem transferre alienam haud posse penates

Ac

Ac ne forte putes me ſomnia vana locutum,
Conſule quotquot habent vivos animalia vermes
Inter ſe numero membrorum, mole, figura
Difformes videas omnes interprete vitro.
Unde inferre licet certis matricibus ova
Committi certis inſectis apta creandis:
Ni fiat, rupto non naſci carcere gentem
Ergo quid in ſolos peſtem hanc ſævire juvencos
Magnanimum nec equum lædi, mollemve capellam
Miraris? pereunt inimicis credita poris.
Ova, nec obſcœni poſſunt ſoboleſcere pulli,
Ceu fructum patriis arbor negat exul ab arvis.
Sic ait, & Redi mentem, vultusque decoros
Confeſſa in cœlum ſe læta recepit imago.

CLXIII.

CLXIII.

Si itaque in curatione talium morborum ad animatam ſeu verminoſam reflectamus cauſam, nullus dubito, quin in appropriatis anthelminticis, antidota, quæ hucuſque nos latuere, adinveniantur, & quæ captis & repetitis experimentis reſponderint, approbentur.

CLXIV.

Ego abſque jactantia aperiam, quæ in moderna lue, armenta depaſcente, pro ſcopo tam prophylactico, quam curativo aliquoties proficuum expertus ſum. Tale remedium conſtabat ex mercurii dulcis dragma una, myrrhæ electæ, & camphoræ aa dragma dimidia. Propinabatur infectis bobus quotidie, aut ſingulis alternis diebus, quin imo ſi opus ſit, binæ tales doſes nychthemeri ſpatio, donec nimirum ex hoc remedio ſaliva tenax, viſcida, & copioſa tam ex faucibus quam ex naribus profluere incipiat. Infundendo

illis

illis ſæpe de die, ſi ipſi haurire nolint, ſufficientem quantitatem aquæ cum hordei farina mixtæ, & coctæ; ad hoc ut tam pro nutrimento, & alimento, quam pro prædicta levi ſalivatione adjuvanda & moderanda ſufficiat.

Si vero ut prophylacticum hoc remedium in uſum vocare volumus, ſufficiet ſi bis in hebdomada ſanis propinetur bobus; unde pariter leviſſimus ſuccedet ſalivæ profluxus; aſt ita ſalutaris, ut tales boves impune cum infectis degere valeant. Hæc ut candide fatear, quæ hucuſque obſervaveram, ita ſpero fore, ut in poſterum ſive a me ſive ab aliis plura, & rem magis firmantia capiantur experimenta, quæ omnia certe non aliunde, quam ex noſtris jam datis de contagio principiis peti poſſunt. Hoc quidem verum eſt, quod mercurius in ſubſtantia exhibitus pro plebe magnarum eſſet expenſarum; unde huic ſubſtitui poſſet aqua de-

coctio

coctionis mercurii, cujus virtus vermicidia, & vermifuga omnibus practicis perquam nota est, & non nisi lignorum pro decoctione pretium exigit.

CLXV.

Unde ex his resultant, & deducuntur pariter illa experimenta de inoculatione & insitione morborum contagiosorum in brutis, quæ annis superioribus in Hollandia, & Anglia capta sunt. Cum enim experientia toties repetita doceat variolas, quin imo & morbillos secundum artem insitionis, & inoculationis in hominibus excitatos vix non semper esse benignos, talesque ægros inposterum inter alios variolantes impune versari posse, eadem hæc experimenta grassante contagione inter boves, & armenta institui magno cum fructu ceperunt in iisdem. Multiplex autem erat methodus, qua insitio, & inoculatio in brutis institui solebat; & hæc erat potissima

ma ratio, quare non omnibus ad vota cesserit.

CLXVI.

Optima videtur fuisse methodus, quam expertissimus D. Schwenke Anatom. & Chyrurgiæ Hagæ Comitum Professor dignissimus in epistola fasciculo mensis Octobris inserta affert & describit. Hac enim pecora, in quibus inoculatio morbi contagiosi prædicta ratione instituebatur, non tantum sanitati restituebantur, sed & impune, & absque periculo inter alia armenta, eodem contagio affecta, conversari, & commorari poterant. Vide commentaria de rebus in scientia naturali, & medicina gestis; sed præcipue volum. V. part. III. p. 452.

Ast ista operatio ex nullo alio principio, quam ex nostra tantum sententia concipi, & explicari potest; nam sicut jam superius ostendimus, quod nec insitio, nec inoculatio in vegetabilibus sine semi-

nio fieri poſſit; quia omnibus plantæ partibus ſeminia primigenia inſunt, & ſemina non niſi ex aliis ſeminibus evolvi poſſunt; alias deberent dici fortuito aliquo motu producta de novo, ita etiam in morborum contagioſorum inoculatione debent dari eorum ſeminia, quorum unum ex altero evolvatur, & multiplicetur. Similitudo, & analogia inter unam & alteram inſitionem aut inoculationem tanta eſt, ut non niſi ſimiles debeant pariter intercedere cauſæ.

Quare vides benevole Lector ex noſtra de contagio ſententia non tantum morbos contagioſos, qui hominum, ſed etiam, qui brutorum genus affligere ſolent, facilius & planius quam ex ulla alia opinione concipi & exponi poſſe; quin imo nec in his ſubſiſtimus, ſed plantarum quoque diverſos morbos exinde deducere debemus. Inter vegetabilium autem morbos eſt ſane princeps eorum rubigo; a qua dein non

tantum homines, sed & bruta plurimos, & gravissimos sibi adsciscere solent morbos. Quare materiei gravitas exigit, ut intimius in essentiam & naturam rubiginis, quam hucusque factum est, inquiramus. Unde sit

SECTIO TERTIA.

De
Rubigine, ejusque causis & effectibus.

CLXVII.

Rubigalis morbus majoris est quam vulgo creditur in Republica momenti, nam non tantum vegetabilibus, sed & viventibus ipsis summe perniciosus, & exitialis esse deprehenditur; etenim fructus horræos, olera omnia, frumenta & legumina inficere, jam fusco, jam rubro, jam

nigro colore notare ſolet. Viventibus ipſis, quæ talia in cibum aſſumunt, exitiales morbos, & contagioſos inducere conſuevit; quod a paucis notatum, verum experientia proh dolor! quam ſæpiſſime probatum eſt. Unde ex hoc fundamento veteres ſicut floralia, ita etiam rubigalia feſta quotannis inſtituebant, & celebrabant; quia ſicut uberem, & opulentam meſſem a ſuperis, ita etiam annonam, aut fructuum corruptelam ab iisdem hujus meſſis hoſtibus dependere ſuo tempore crediderunt; talia feſta referente Plinio Lib. 18. cap. 29. a Numa Pompilio anno regni XI. inſtituta fuere. In hujusmodi ſacrificio mactabatur lactens catulus, & Rubigini Numini offerebatur. Unde Columella:

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.

CLXVIII.

CLXVIII.

Per rubiginem non intelligimus hic illam rubiginis ſpeciem, quæ puberibus plantis a gelu accidere ſolet, & carbunculatio, aut uredo alias vocari ſolet; rubiginem hic illam attingimus, nobisque trutinandam proponimus, quæ ab aliis dependet cauſis, & vegetabilia fuſco, aut rubro aut nigro colore afficit. Iſte ſolet omnium fere frugum peſſimus audire morbus, qui eorum peſtis vocari poteſt; unde contingit, ut, ſi talia vegetabilia in eſcam aſſumantur, veſcentibus exitioſa, & morboſa evadant.

CLXIX.

Aſt rubiginis natura tam profundis obvolvitur tenebris, ut ad hanc uſque diem non parum torſerit magna naturæ ſcrutatorum ingenia, plerique enim in eo conveniunt; hanc a vitiato rore dependere; verum in quo illud roris vitium conſiſtat, maxime inter ſe differunt. Aliqui

hoc roris vitium ſali acri alcalino, alii ſali acido ſtygio in acceptis referunt; analogiſmum ducentes ex morbis contagioſis, & malignis, qui viventia invadere ſolent; ſicut enim tales morbos ab acido, aut alcalino miaſmate derivant, ita etiam morbos vegetabilium iisdem cauſis attribuunt. In confirmationem hujus aſſerti nunc ſale aliquo alcalino-acrifixo, aut volatili, nunc aquis ſtygiis vitrioli, nitri, viridia vegetantium folia conſpergunt, ſperantes fore, ut exinde illæ rubiginis maculæ in conſpectum veniant; aſt falluntur, & effectus illorum non reſpondet votis; nam ſæpius hac ratione repetiimus experimentum, ſed non niſi quandam exinde foliorum, & fibrillarum corrugationem, & opacitatem obſervavimus.

His accedunt multa alia argumenta ſuperius de contagio contra hanc ſententiam allata, quæ hic adduci poſſunt.

CLXX.

Clarifs. Lœwenh. agnovit difficultatem in tali rubiginis explanatione, unde in epiſtola 109. data ad Dominum van Leevwen negavit rubiginem a rore vitiato dependere; adeoque aſſeruit rubiginem fieri, ſi tubuli, vaſcula, utriculi plantæ obſtruantur, aut rumpantur ab aliqua externa violentia; unde fit ut ſucci ibidem reſtagnent, & ſubſiſtant, ſicque talem rubiginem, quaſi ſugillationem repræſentent; cauſa vero talis externa eſſe poteſt violentia venti, imbrium, grandinum &c.

CLXXI.

Sed contra eſt primo. Nam ego data opera in diverſis vegetabilibus, ſed præcipue in ſegetibus, dum ad debitam altitudinem jam excreſcerent, inſtitui experimentum, quod quisque quolibet poteſt repetere anno, huic plauſibili ſententiæ contrarium; diverſa enim vegetabilium

ſolia corrugavi, ramuſculos inflexi, filis conſtrinxi, ſegetum culmos pariter inflexi, aut bacillis pulſavi, denique omnia inſtitui, ut aliquam vaſculorum, utriculorum, aut tubulorum ſeriem comprimerem, oppillarem, aut deſtruerem, uti alias a vento aut grandine fieri ſolet, viſurus, quid inde cum tempore in talibus vegetabilibus obſervandum ſupereſſet; ſed ecce nullibi veram rubiginem videre fuit; nam prædictæ partes vegetabilium, quæ aliquam violentiam paſſæ erant, vel ſe ad naturalem ſtatum reducebant, vel adinſtar maraſmi ſiccabantur, & contabeſcebant.

CLXXII.

Secundo experientia conſtat, quod vegetabilia rubigine affecta in ſpecie autem frumentum, ſi in eſcam aſſumantur, ſanitati plurimum noceant, ut dein patebit, quod ab illis vegetabilibus, quæ ab imbribus, ventis, aut grandine detrimentum aliquod paſſa ſunt, exſpectandum,

aut

aut metuendum non eſt, nam fere cuilibet notum eſt, non tantum olera, cerafa, uvas, ſed etiam poma, pyra, aliaque a grandinibus læſa impune edi, & ab omnibus ſine ſanitatis læſione in uſum vocari poſſe; adeoque ex hoc evidenter deducimus, aliam eſſe rubiginis naturam, quam quæ ab eruditiſſimo Authore aſſignatur.

CLXXIII.

Interim negare non poſſumus a prædictis cauſis in vegetabilibus fieri quasdam eorum læſiones, ſuggillationes, uti hoc magno cum agricolarum damno a grandinibus in uvis, pyris, pomis aliisque quotannis contingere ſolet. Idem fit a gelu incongruo tempore puberibus vegetabilibus ſuperveniente; ſed omnia hæc veram rubiginem, de qua hic eſt quæſtio, non cauſantur; nam hæc ſolet vegetabilibus ut plurimum temperata, & ſerena plus minus calida tempeſtate, aut decidentibus pluviis cœlo fere exiſtente ſereno, ſuper-

venire; uti hoc in Auſtria evenit ann. 1751. Item 1759. die 31. Martii, & 3[tia] Junii die Dominica Pentecoſtes; nam cœlo fere exiſtente ſereno pluviæ magnam obtinuerant diei partem; ex quo dein anno 1757. factum erat, vt vix non omnia vegetabilia rubiginoſa evaſerint; anno vero 1759. tritico magnum exinde damnum allatum fuerit.

Quare, ſi omnia hæc, & illa, de quibus deinde dicemus, rite conſiderentur, judicamus rubiginem, de qua hic eſt quæſtio, a certo ſeminio verminoſo dependere, quo vegetabilia conſperguntur, & afficiuntur, in quibus dein fit ulterior ſeminii evolutio & multiplicatio.

CLXXIV.

Ex quo concipere poſſumus, quod rubigo diverſimode advenire, & propagari poſſit; advenire enim poteſt a certis, & præcipue auſtralibus flantibus ventis, a pluviis cœlo præcipue ſereno cadentibus,

&

& similia seminia in se continentibus; tandem ab ipso rore vitiato, seu similibus seminiis fœto, & vegetabilia inspergente. Propagari autem, & multiplicari potest ultro per fomitem, seu per sobolem; nam experientia docet, quod ex tritico rubiginoso sato, pariter triticum rubiginosum producatur.

CLXXV.

Ne vero hæc omnia perperam asserta videantur, probari possunt partim ex illis, quæ nos superius de contagio diximus, partim aliis rationibus, ut dein patebit; diximus superius, & ostendimus, quod a flantibus austris, a pluviis calidis præsertim sub æquatore cadentibus, innumerabilia seminia verminosa afferantur. Eruditiss. Boërhav. Oper. Chemicor. de aëre asserit: *quam doleant agricolæ, dum tepente vere venti quidam incredibili celeritate arbores inficiunt numero*

carentibus vermiculis. Item hoc tempore ab omnibus Physicis jam receptum & definitum est, pluvias sanguineas a certis dependere animalculis.

CLXXVI.

Quod vero alias concernit rationes principes sunt sequentes, & quidem prima: illa, quæ rubigine afficiuntur, videntur evidentissime putrida esse, & ad putredinem reduci debere, adeoque ut ante probavimus putredinem ab evolutione certi seminis verminosi dependere, idem dicendum erit de rubigine. Ego examinavi inter reliqua vegetabilia triticum rubiginosum, quod quisque tempore messis facere potest; in illius granis deprehendi intolerabilem ad instar carnis putridissimæ fœtorem; si hæc grana contusa, & cum aqua recenti mixta microscopio examinentur, exhibent innumerabilem verminosam progeniem.

CLXXVII.

CLXXVII.

Si tale triticum, quamvis omni posſibili induſtria a granis rubiginoſis ſeparatum, ſeratur, tunc triticum de novo productum, ſeu evolutum magna ſui parte rubiginoſum fieri ſolet, quamvis nulla ſenſibilis cauſa externa, a qua talis rubigo dependeat, accedat; cujus experimenti ratio alia eſſe non poteſt, niſi quod ſeminia verminoſa tritici rubiginoſi granis integris & ſanis communicentur, iisdem adhæreant, ſicque in germinatione una evolvantur.

CLXXVIII.

Quare coloni, ut hoc avertant, diverſa experiri ſolent, aliqui enim triticum ſerendum aqua calcis & ſalis, alioque acri liquido abluunt. Dominus Bradley judicat optimum fore, ſi talia ſemina per 30. horas macerentur in muria aluminis, dein laventur aqua recenti, ſicque ſeminentur. Vide T. Needham nouvelles decouvertes microſcop.

Ve-

Verum optima methodus, quæ ab expertis agricolis obſervatur, conſiſtit in eo, ut ſemina ſerenda peregrina, & non rubiginoſa aſſumantur; ſic enim, ſi nulla ſuperveniat cauſa externa rubiginem inducens, puriſſimum frumentum adipiſcuntur.

CLXXIX.

Ego optarem mihi copiam experiundi aquam ex decoctione mercuriali, ſi nimirum ſemina ſerenda nychthemeri ſpatio in eadem macerentur; cum enim experientia conſtet, prædictam decoctionem eſſe ſummum anthelminticum, ſperarem fore, ut in hoc caſu pariter eandem exerat virtutem.

CLXXX.

Alterum fundamentum noſtri aſſerti eſt, quod, ſi aqua, alioque humore putrido recentia vegetabilium folia conſpergantur, rubiginoſam exhibeant faciem,

qua-

qualis non obſervatur, ſive liquore acri acido, ſive alcalino experiaris.

CLXXXI.

Tertium fundamentum eſt ruri obvia obſervatio, quod regnante rubigine apes non uti alias mellificare, ſed magnam partem emori, aut alio tranſmigrare ſoleant; cicadæ taciturnæ, & transfugæ fiant; quia ſuccis vegetabilium corruptis, & putridis veſci recuſant. Unde obſervat Mercurialis 1577. cicadas rariſſimas, & taciturnas, & graviſſimam ſubſecutam in hominibus epidemiam; nam ſi corruptis veſcimur vegetabilibus, mirum non eſt, ſi humores noſtri pariter corrumpantur, & ad diverſos morbos contagioſos corpora diſponant; quod a multis practicis obſervatum, & annotatum legimus, ut in act. erud. Lipſ. anni 1718. p. 314. *Rubigo facit, ut fructus vermibus ſcateant, erucæ, & alia inſecta exuberent morbi pernicioſi contagioſi, quin imo peſtilentiales exurgant.*

Eun-

Eundem exprimit ſenſum textus S. Scripturæ: ſic Amos cap. 4. *percuſſi vos in vento urente, & in aurugine.*

CLXXXII.

Similem funeſtam & morboſam conſtitutionem experti ſumus declinante anno 1757. verum præcipue ineunte 1758. malum hoc epidemicum, contagioſum, & maximam partem petechiale non tantum ditiones auſtriacas, ſed multas quoque alias, & diſſitas occupabat regiones; & toto hyemali tempore non tantum agricolas ſed & ſpeciatim illos, qui militiæ dederant nomen, aggrediebatur, & depopulabatur.

CLXXXIII.

Interim notandum, duplicem fuiſſe morbum, qui anno 1758. præ aliis affectibus per hyemem epidemice graſſabatur: aderat morbus, qui ſub ſui initium rigoribus, & horripilationibus continuis, paſſim tuſſi, coriza, deglu titione laborioſa,

rheu-

rheumaticis artuum & laterum doloribus, vexabat ægros. Qui merito ad affectus rheumaticos reduci & a vicissitudine temporum derivari debet. Quales morbi, si rite tractentur, & inflammatio absit, periculo carent, neque enim quisquam ex plurimis, quos in hoc morbo tractandos habui, desideratus est.

CLXXXIV.

Verum alius, & ulterioris indaginis, epidemicus & contagiosus grassabatur morbus, qui etiam in arte peritis aliquando imponere solet, de quo nuper Expertissimus Dominus Hasenöhrl nosocomii Hispanici medicus eruditissime tractavit. Etenim iste pariter morbus horripilationes, tussim, corrizam, secumferebat, pulsus erat saltem primis diebus naturali similis, nulla sitis, lingua saltem sub initium humida; aderant pariter rheumatici artuum dolores, affectum vere rheumaticum æmulantes; distinguebatur tamen ab illo, quod

adfuerit ſumma virium proſtratio, dicebant enim ægri ſe quaſi fuſtibus dolatos eſſe; vexabant præterea plerumque intolerabiles dolores capitis cum quodam ſopore, ſtupore, & agrypnia; quæ ſemper augebantur; tandem delirabant ægri, fiebant inquieti, reſpiratio erat laborioſa, & cum ſuſpiriis, his plerumque quarta die, aliquando tardius ſupervenere exanthemata petechialia. Hoc ſingulare fuit obſervandum hoc anno, quod alias rarum, exanthemata enim frequentiſſima extremitates artuum occupare, & uſque ad apices digitorum ſe extendere ſolebant.

Quamvis pulſus non fuerit, ut alias in inflammationibus eſſe conſuevit valde celer, fortis & durus, ſanguis tamen e vena miſſus fuit valde ſpiſſus & lardaceus. Urina vero erat maximam partem naturali ſimilis. Cauſam hujus epidemici & contagioſi mali medici alias deducere ſolent ex caſtris, & ex prægreſſis tot præ-

liis,

liis, ubi quam plurima cadavera insepulta suo putrore, & fœtore inficere solent aëra. Item ex continuis excubiis, laboribus, quos præter morem diu, noctuque in seram usque hiemem inclementiæ aëris expositi perferre coguntur milites; unde vires atteruntur, perspiratio impeditur, sicque corpora ad putredinem, & ad morbos disponuntur.

CLXXXV.

Equidem ego non inficior, quemadmodum multæ observationes docent, ab his caussis sæpe morbos contagiosos dependere; quin imo morbis petechialibus hoc anno grassantibus aliquam pariter symbolam contribuisse lubens admitto; verum hanc unicam, & principem fuisse hujus epidemiæ contagiosæ caussam, vix mihi persuaderi patiar. Arbitror enim potius rubiginosam anni 1757. constitutionem, quæ omnis fere generis vegetabilia infecerat, fuisse potiorem hujus epidemiæ pe-

techialis rationem. Fundamentum talia supponendi est.

CLXXXVI.

Primo: quia ex relationibus constat, & omnes ruricolæ norunt, anno 1757. omnis fere generis vegetabilia, non tantum in ditionibus austriacis, sed in aliis pariter dissitis regionibus a rubigine multum detrimenti persensisse; unde factum est,

CLXXXVII.

Secundo; ut hoc malum contagiosum primo inter plebejos, dein tandem inter milites grassari cœperit; quod non evenisset, si prædicti mali causa ex castris peti deberet.

CLXXXVIII.

Tertio: quia contagium hoc petechiale, uti ex relationibus constat, multas alias, & dissitas provincias, ubi nullæ militiæ, nulla castra, nullaque prælia erant, tenebat, & quidem priusquam in castris grassabatur; adeoque signum est, quod

ex prædictis esculentis rubiginosis putridis originem duxerit.

CLXXXIX.

Quarto: quia observationibus notum est, quod contagium hoc petechiale adveniente tempore verno mitigatum, in æstate tandem fere deletum fuerit. Cujus alia ratio esse non potest, quam quod recentia, & bonæ notæ vegetabilia hoc fugaverint malum; cum tamen ex contraria opinione oppositum evenire debuisset; nam erat eadem belli sævities, eadem, quin imo major annonæ caritas; caloris tempore verno, & æstivo ad putredinem generandam, & augendam major vis, etenim omnes noverint, contagium facilius, & magis propagari temporibus, & regionibus calidioribus, quam frigidioribus. Quare majore cum fundamento judicare possumus hoc malum petechiale ab esculentis rubiginosis, & putridis derivatum, & dein ab iisdem esculentis pube-

 ri-

ribus, & salubribus cicuratum atque tandem suppressum fuisse. Simile quid legi potest in actis med. Berol. Decad. 11. vol. VI. & alibi ut in annalibus Vratislaviensibus ann. 1716. 1727. ubi morbus malignus contagiosus a secali rubiginoso, alias corniculari dicto, inductus a salubribus, & melioris notæ alimentis ex sano medicorum consilio propositis, & Principis munificentia suppeditatis, non tantum mitigatus, sed plenarie abactus fuit.

Ex his, quæ de rubigine hactenus dicta sunt, possunt sequentia deduci corollaria, & quidem

CXC.

Primo: quod sicut homines ab esculentis rubiginosis diversos morbos contagiosos contrahere possunt, ita pariter sæpe eveniat, ut animalia bruta maximum sanitatis detrimentum cum deplorabili eorum strage ab iisdem percipiant, & experiantur: si enim pascua prædicto rore

corrupto conſpergantur, ſicque a brutis in uſum, & eſcam ducantur, facile fieri poteſt, ut eorum corpora ad morbos putridos, & contagioſos diſponantur, uti ſuperius jam de apibus, & cicadis dictum eſt; quando enim hæc materia maligna contagioſa in uno, alterove ſemel in actum deducitur, facile dein aliis, præcipue vero illis, in quibus ex iisdem paſcuis aliunde aliqua mala diſpoſitio ſubeſt, communicatur, ſicque propagatur, & multiplicatur; experientia enim conſtat, quod ſecale rubiginoſum ſeu cornutum ſicut in hominibus, ita etiam in porcis, anatibus corpus tam interne quam externe reddat ulceroſum. Vide comment. de rebus in medicorum geſtis vol. VI. p. 508.

CXCI.

Secundo, quod in morbis contagioſis, ſive iſti homines, ſive armenta teneant, parum, & rariſſime ad prædictam cauſam advertatur, cum tamen ſæpius, ac

vulgo creditur, deplorabilem præcipue inter armenta agat ſtragem. Sic a multis jam annis graſſatur in Europa dira lues, quæ genus bovile, & ovile depopulatur, cujus alia vix reddi ratio poteſt, quam quod, cum eorum victus unice in his paſcuis, & ſæpe tali rubigine affectis conſiſtat, hæc potius quam alia animalia bruta afficiuntur; quæ, cum potiorem alimenti partem aliunde, quam ex paſcuis habeant, non tam facile, nec tam frequenter, nec tam diu, talem experiuntur luem.

CXCII.

Hoc aſſertum confirmatur aliis obſervationibus, ſed præcipue illa, quam Mead p. 157. affert; nimirum in India orientali in urbe Surato quotannis inter indigenas graſſatur peſtis, a qua advenæ liberi manent; rationem dat, quia carnibus, & vino utuntur. Ex quo infertur.

CXCIII.

Tertio quare anno 1758. plebeji, & infimæ ſortis homines præ reliquis prædicto morbo petechiali laborarint; etenim miſera agricolarum ſors in cauſa eſt, ut hi toto anni tempore alimenta ex vegetabilibus, rariſſime ex carnibus, deſumere debeant; ſi hæc putrida, & corrupta ſint; mirum non eſt, illorum corpora ad tales morbos diſponi; quemadmodum hoc legi poteſt in annalibus Vratislav. de annis 1761. & 1717. Item in actis med. Berol. Dec. 2. vol. VI. & in comment. de rebus in ſcientia natur. & medicina geſtis vol. VI. p. 508.

Tandem deducitur

CXCIV.

Quarto: quare anno 1758. omnis fere generis exanthemata graſſata fuerint? quod oppido rarum; nam variolæ, morbilli, purpura, petechiæ, ſcarlatina & rubiolæ, & urticata affligere ſolebant ge-

nus humanum. Superius jam dictum fuit, quod appropinquante æstate petechiæ valedicere inceperint, reliquorum vero exanthematum epidemia per æstatem adhuc perseverante; debemus itaque admittere specie diversa miasmata contagiosa in causa prædictorum morborum fuisse; quia ut jam dictum est, experientia constat vix non omnis generis vegetabilia illo anno rubigine affecta, & corrupta fuisse; adeoque diversam fuisse hujus corruptelæ causam; neque enim dici potest unum miasma omnis generis vegetabilia rubigine notare posse. Experientia ipsa contrarium docet; nam omnes œconomiæ rurali dediti norunt, aliquando unum, aliquando alterum, aliquando etiam plura ex vegetabilibus rubiginosa fieri, sic anno 1759. triticum fere unicum fuit saltem hic in Austria, quod putridissima rubigine affectum fuit, insontibus omnibus aliis; quod eve-

nire

nire non posset si materia rubiginosa unius esset naturæ seu, ut dicimus, speciei.

CXCV.

Quapropter rubigo non sine ratione pestis vegetabilium vocari solet; adeoque sicut in animantibus luem humanam, bovinam, equinam, caninam, & reliquorum specie inter se distinctam superius jam demonstravimus, idem dicendum erit de rubigine, seu de lue vegetabilium; debet etenim admitti, quod in uno sicut in altero casu in uno subjecto potius & facilius, quam in altero fiat talis seminis verminosi evolutio, & multiplicatio, quod ex analogia germinationis, insitionis & inoculationis vegetabilium concipere & demonstrare valemus.

Hanc nostram de rubigine sententiam Fracastorius Lib. I. de siphilide elegantissimo, & doctissimo carmine exacte & ad unguem expressit.

Nunc

Nunc age, non id te lateat super omnia miram
Naturam, & longe variam contagibus esse,
Solis: nam saepe arboribus fit noxius aër,
Et tenerum germen, florumque infecit honorem:
Interdum segetem, & sata laeta, anni que labores
Corripuit, scabraque ussit rubigine culmos,
Et vitiata parens produxit semina tellus.

Ex quo ratio facile erui potest, quare a pascuis vitiatis, & rubiginosis certa tantum animalia v. g. boves afficiantur, insontibus, manentibus omnibus aliis, qui eisdem vescuntur.

Pariter ex his, quae hucusque diximus patet, quod ex nostris de contagio principiis multa problemata, difficilesque quae-

quæstiones, alias irresolubiles, solvi & enodari possint. Sic illa celebris quæstio, quæ jam bis, id est anno 1759. & 1760. in Hollandia ad solvendum proposita fuit, ex nostris fundamentis facilius, quam ex quibuscunque aliis, concipi, & exponi potest. Quæstio enim fuit, quare hoc tempore lues bovina diutius, quam alias grassetur?

Huic enim quæstioni responderi potest; quod ex nostris principiis semina cujuscunque contagii in sui evolutione, propagatione & multiplicatione considerari debeant, uti omnia alia semina tam vegetabilium quam animalium.

Quapropter sicut mutiplici observatione constat, certa semina vegetabilium aliqua annorum serie magis & uberius, alia iterum minus & parcius propagari & multiplicari; idem pariter dicendum erit de seminiis contagii v. g. luis bovinæ.

Sic

Sic ex sacris literis nimirum Genesis cap. XLI. constat, integro septennio uberrimam fuisse messem, alio vero septennio parcissimam, magnamque annonæ caritatem extitisse.

Talem annonæ ubertatem, aut difficultatem sæpe & longa annorum serie viguisse in pluribus annalium scriptoribus legere possumus.

Præterea cuilibet notum est tam in vegetabilibus, quam in animalibus definitum esse florendi & prolificandi tempus, & terminum; quædam enim illorum brevi, quædam longa annorum serie prolificant; tandemque deficiunt, & emoriuntur.

Si itaque hæc & similia propter jam dictam analogiam, applicentur seminiis contagii, quod multis jam annis armenta depascitur, facilius quam ex quocunque alio principio causa, quare tamdiu sæviat, concipi & cognosci poterit.

Quia

Quia hoc ipſum in peſte, quæ ſæpius genus humanum affligebat, multoties obſervabatur, quod una peſtilentia citius, alia vero tardius defervuerit, ut quisque in chronologia peſtium, a quam plurimis autoribus ſcripta, legere poteſt.

Item pro coronide patet, quanto nexu contagium, putredo, & rubigo invicem jungantur; ut de contagio dicturus una fidelia, & putredinis, & rubiginis naturam attingere, & exponere debeat quisque. Ne vero, quæ nos de rubigine diximus, ad libitum, aut ex imaginario aliquo conceptu effati fuiſſe videamur, in majorem noſtræ opinionis probationem, firmioremque confirmationem, adducemus illa, quæ eruditiſſimus & indefeſſus naturæ ſcrutator Needham de rubigine ſenſit, & repetitis experimentis comprobavit in ſuo elegantiſſimo tractatu de novis inventionibus per microſcopium, primum Anglico ſermone edito, dein in Gallicum idio-

idioma verſo. Sequentia ad noſtrum ſcopum faciunt: cap. 8. de rubigine frumenta corrumpente pag. 99. ſic ait: *La Nielle eſt une maladie du blé, dont elle détruit la ſubſtance farineuſe, qui eſt audedans, & introduit à ſa place une matière étrangère, qui ternit & noircit le grain, au moins extérieurement. Cette matière eſt ou une pouſſière noire & fort fine, mais dont les parties, vues au microſcope, n' ont point une figure uniforme; où c'eſt une ſubſtance blanche, toute compoſée de longues fibres; empaquetées enſemble, & qui ne donnent aucun ſigne de vie ou de mouvement, ſi on les expoſè au microſcope, telles qu' on les tire du grain, ſans leur appliquer de l' eau. La première fois que je les découvris, je n' avois d'autre deſſein en leur appliquant de l'eau, que de developper ces paquets, afin que je puſſe examiner les fibres plus commodement; je fus par conſéquent bien ſurpris de les voir en un nſtant prendre vie, & ſe mouvoir régulié-*

re-

rement, non d'un mouvement progressif, mais en tortillant chacune de leurs extremités, & persévérer dans cette agitation jusqu'au lendemain.

J'ai repété cette observation en divers tems, avec cette différence seulement, c'est qu' au commencement, lorsque les grains étoient cueillis recemment, & qu'ils étoient encore mols, il suffisoit d'en tirer les animalcules, & leur appliquer de l'eau, pour les voir remuer; mais ensuite, lorsque ces grains ont été gardés quelque tems, il m'a fallu les macérer dans l'eau pendant quelques heures, & alors quand j'en tirois les animaux, je les voiois s'animer peu à peu, lorsque je les exposois au microscope dans une goute d'eau; au lieu que si je ne prenois pas cette précaution, il n'y en avoit presque aucun, qui donnât quelque signe de vie.

Comment ces anguilles, car je puis leur donner ce nom, parce que ce sont des animalcules aquatiques, qui ressemblent assez aux anguilles d'eau douce, avec cette différence cepen-

dant, c'est que leurs deux extrémités sont tout-à-fait semblables, sans qu'on y remarque aucune apparence de bouche ou de tête; comment ces anguilles, dis-je, subsistent-elles; d'où viennent-elles; si elles subissent quelque changement, en quoi se convertissent-elles? ou comment multiplient-elles? Je n'ai rien pû découvrir là dessus: tout ce que je sai, c'est que j'en ai observé pendant sept ou huit semaines de suite, que j'ai conservé en vie uniquement en leur fournissant de la nouvelle eau: souvent j'en ai aussi laissé secher, pendant quelques jours après que l'eau s'étoit évaporée, & ensuite elles ont repris vie dès que je leur ai redonné de l'eau fraiche. Mais ce qui j'ai actuellement des grains de ce blé gâté par la nielle, qui ont été cueillis il y a plus de deux ans ici en Angleterre, où je les ai conservé secs pendant un été dans une boëte, & ensuite je les ai porté avec moi dans un climat beaucoup plus chaud, je veux dire en Portugal, où ils ont passé un second été, & cependant ils m'offrent en-

core

core à presant les mêmes phénomènes, sans-que j'y puisse remarquer aucun changement.

La Nature singuliére de ces animalcules, quelqu' inexplicable qu' elle soit en elle-même, nous sert de confirmation & nous met en état de rendre raison d' une observation qui a été faite par plusieurs habitans de la compagne, & dont parle Mr. Bradley.

Hæc sunt benevole Lector, quæ de contagio in genere, & aliqua in particulari de eodem publici juris facere constitueram, plura super hoc stabilienda experimenta dabit favente Numine posterior ætas; etenim coram fateor, multa adhuc desiderari, atque superesse difficultates, quæ necdum enodatæ, quæ aliis enodandæ relinquuntur. Multa pariter offendi fateor, quæ rigidus Zoilus carpere valebit, multa, quæ Eruditissimis quoque viris non sapient; quorum modestam & doctam censuram semper venerabor; neque enim huic, quem admodum dixi sententiæ tam arcte inhæreo, ut, si melior prostet, ab hac dimoveri non patiar.

Quare cum Eruditiſſimo Georgio Agricola de ponderibus & menſuris totus ſentio: *judicia certe in literis olim fuerunt libera, nunc debent eſſe, & erunt poſteris vel nobis invitis; modo non ſint levia, temeraria & iniqua. Quod ſi eorum quiſpiam me in jus vocare ob hanc cauſam, & doctis accuſare voluerit, rationibus agat, pugnet argumentis, teſtimoniis, denique autorum, ſi poteſt, convincat, omiſſis maledictis, & conviciis, ne noſtra arrogantia, aut pertinacia, ne, quid aliud dicam, periclitetur veritas; quæ ſane, ut accurate diſputando exquiri, ita nimium altercando plerumque amitti ſolet. Id quidem, quod æquum eſt, poſtulo, quo neglecto, ſi quis omnino voluerit ſtomachari, & maligne in convicia prorumpere, ipſum ſuo magis obſuiſſe nomini, quam meo optimus quiſque, certo ſcio, judicabit.*

FINIS.

ADDI-

ADDITAMENTUM

AD

TRACTATUM


DE

CONTAGIO

pag. 142. 143. 144. &c.

SEU

DE LUE BOVINA AD FINEM VERGENTE ANNO 1761. EPIDEMICE GRASSANTE; ITEM DE EJUSDEM CAUSIS, PRÆSERVATIONE, ET CURATIONE.



SECTIO PRIMA
DE
NATURA, ET CAUSIS LUIS BOVINÆ.

I.

Dum in meo Tractatu de contagio generales contagii causas exponere, ac tum rationibus, cum observationibus eas firmare annisus eram; attigi tandem CLVI. pagina 142. sed superficialiter tantum, contagium particulare, & epidemicum, quod a tot jam annis inter armenta horrendam agit stragem. Declaravi ibidem ejusdem causas; adjeci quoque quædam remedia pro similium mor-

borum, tam præfervatione, quam curatione; quæ ego & propria & aliorum experientia præ aliis, hucufque adinventis deprehendi proficua.

II.

Cum vero hæc dira lues vergente ad finem anno 1761. de die in diem ingravefcere, & fuæ tyrannidis imperium, non tantum per Auftriacas, fed per alias etiam ditiones extendere videatur; item cum fingulares hic videam fubeffe caufas, propter quas longe, lateque graffetur; confultum duxi, ut feparatim de hac lue, ejus caufis, & curatione verba faciam.

III.

Hanc luem eo magis horrendam, & Reipublicæ perniciofam exiftimo, quod ad plures animalium fpecies evagari conetur; etenim non tantum, ut apparet, boves, fed hinc inde etiam oves, & equos agreditur; quapropter materiæ ipfius gravitas exigit, ut hanc armentorum peftem dili-

diligentia, qua possumus maxima perscrutemur, & ruminemur.

IV.

Præliminariter enim judico, quod quilibet in similibus morbis versatus admittet, hanc bovinam luem esse epidemicam, & contagiosam; quod quamvis ex tractatu de contagio jam constet, tamen potest aliquis dubitare, an sit contagiosa; quia dicet, sufficere, esse epidemicam.

Verum, si ad intima contagii principia reflectamus, quilibet, qui sic asserit, fallitur; nam illud contagiosum dicimus, quod alteri communicari potest; quod autem ipsa lues bovina aliis sanis bobus sæpe communicetur, ipsa proh dolor! loquitur quotidiana experientia.

V.

Si vero hæc non sufficiat ad convincendum Adversarium, firmabit nostrum assertum alia experientia; quæ haud pridem in Anglia, & jam alibi instituta legitur;

qua constat, luem bovinam per inoculationem, & insitionem eodem modo sicut variolas, & morbillos communicari, & ultro propagari posse. Adeoque sicut variolas, & morbillos, ita etiam luem bovinam contagiosam, & communicabilem affirmare debemus. De hac re plura legi possunt in meo tractatu de contagio.

VI.

Ex quibus cum fundamento quidem concludere possumus, quod multa animalia bruta ex contracto ab aliis infectis contagio, tali laborent lue, a qua alias libera permansissent, si miasma illud contagiosum, ex adhibitis certis cautelis, non hausissent. Verum tamen hoc non satisfacit animo sciendi cupido, intimiusque res ipsas, earumque progressus, ruminanti; etenim sequentes difficultates, seu quæstiones adhuc solvendæ supersunt, ut

VII.

VII.

Primo: quare hæc miasmata luis bovinæ contagiosa hoc potius anno, quam alio grassentur?

Secundo: quare tantum bobus, & non aliis animantibus communicentur? Sic experientia docet, quod homines, canes, & alterius generis animantia libere, & impune cum infectis bubus versari possint. Debet igitur in ipsis bobus quædam dispositio ad suscipiendum, & evolvendum tale miasma latere, quæ aliis abesse videtur. Unde vero ista dispositio derivanda sit, & in quo consistat? hic labor, hoc opus.

VIII.

Ad satisfaciendum propositis quæstionibus sane non ex alia, quam ex nostra de contagio hypothesi patet via; qualem jam prædicto tractatu pag. 145. sed præcipue ubi de rubigine agitur pag. 185 indicavi.

Ex-

Exinde enim conſtat, quod quandocunque a bobus exuberantia ſeminia verminoſa ingeruntur, illorum humores ita inficiantur, & diſponantur, ut facile, ſi cauſa movens acceſſerit, ibidem ſobolefcere, & in actum deduci poſſint.

Talia ſeminia verminoſa dixi a certis flantibus ventis Auſtrinis, item à pluviis verminoſis, ſed præcipue paſcuis rubiginoſis dependere; quæ dein, accedentibus conſtitutionibus temporum humidis foventur, ac tandem evolvuntur, diverſoſque morbos epidemicos, & contagioſos cauſantur. Hoc ipſum Hippoc. de morbis popularibus, & in Aphoriſm. Lib. III. affirmat.

Notabilis eſt pariter obſervatio, quam Vitruvius de Inſula Lesbo affert: *In qua Auſter cum flat, homines ægrotant, quando Corus, tuſſiunt, cum ſeptentrio, omnes in ſalubritatem reſtituuntur.*

IX.

IX.

Aſt dices: omnes prædictæ cauſæ videntur in hac conſtitutione, nimirum 1761. non tantum in Auſtria, ſed in aliis pariter provinciis abſuiſſe: etenim tanta ſiccitas, calorisque exuberantia totam obtinebat æſtatem, ut frumenta, legumina, olera, fructus horæi, & paſcua pro bobus ipſa, magnum detrimentum, defectumque paſſa fuerint.

Item nec Auſtri, nec Euronothi flabant; neque vegetabilibus rubiginis quædam nota imprimebatur.

Quapropter videtur ſpecialis quædam cauſa ſubeſſe, quæ hoc anno boum corpora ita diſpoſuerat, ut hoc tempore lue epidemica & contagioſa laborent, deleanturque.

Ad quod reſpondeo omnino, in præſente lue bovina ſpeciales cauſas interfuiſſe; & intereſſe quæ etiam me moverunt, ut ſeparatim illas exponerem, & coram ſiſterem.

Ut

Ut vero eo evidentius, clariusque asserti veritas pateat, necesse erit, ut constitutionem hujus anni vernalem, æstivam, & autumnalem quam brevissime delineemus.

XI.

Valedicente hiberno frigore imbres frequentes, & exuberantes ingruebant, quales non tantum Austriam, Bohemiam, Moraviam, Styriam, Carinthiam, Bavariam, sed & alias provincias in- & exundationibus affligebant.

Hoc monstrant ad hanc usque diem tristia diversarum ruinarum vestigia, quæ exundationibus fluminum, lacuum, rivulorumque debentur.

XII.

Hanc constitutionem nimbosam excipiebant intensi calores, & siccitates, quæ, ut jam dictum est, totam obtinebant æstatem.

XIII.

XIII.

Tandem his successit autumnus perquam humidus, densis, perpetuisque concomitatus nebulis; donec sub initium Decembris rigidissimum, & Danubium cogens ingrueret frigus.

XIV.

His præmissis supponi, quinimo, ut dein magis patebit, admitti debent, tempore humido, pluvioso, vernali quam plurima adfuisse seminia verminosa, dein evolvenda.

Verum tamen, cum tempore æstivo sufficiens, & necessarium pro eorundem fotu, & evolutione defuisset humidum, hæc, qua talia integra, & inertia in superficie terræ hæserant.

XV.

Præterea, cum ex eodem humidi defectu, campi, prataque minus graminea, minus viridescentia essent, graminis stamina, quæ alias denso agmine terram operire,

rire, & in longum extendi ſolent; rara, exilia, brevia, & fere exuſta permanſere.

XVI.

Ex quo patet neceſſitas, qua armenta premebantur, hæc ſtamina graminea ad radices uſque ſuo prehendendi ore, quæ in graminis exuberantia prominentias tantum ejusdem abradunt, decerpuntque.

Unde dein evenit, ut una cum gramine quam plurima ſeminia verminoſa, ſuperficiem terræ occupantia prehenderent, & deglutirent; ſicque iisdem totam maſſam humorum inficerent, ad putredinem, ſeu ad talium ovulorum evolutionem, qua data proxima occaſione, diſponerent.

XVII.

Hæc ipſa occaſio, ſeu cauſa movens, & fovens ſe, præſertim in autumno obtulit, quo, ut dixi, tempeſtas humida cum denſis, & perpetuis nebulis præ-

do-

dominabatur; unde prædicta seminia fovebantur, ut eo facilius dein in actum deducerentur.

XVIII.

Hoc factum est in aliquibus bobus sine contagio, nimirum propriis naturæ motibus, & fotibus; in aliis vero cum contagio; dum videlicet miasma hoc verminosum, & contagiosum jam in actum deductum, & sobolescens, aliis sanis communicabatur, in quibus cum homogeneam, id est verminosam dispositionem offenderet, eo facilius, & eo citius sobolescebat, & multiplicabatur.

XIX.

Ex his jam adductis, & præsuppositis principiis, quæstiones superius propositæ facile solvi poterunt; ut quare nimirum hoc potius, quam alio anno hæc dira lues sæviat? Item quare præ aliis animalibus genus bovile tali lue afficiatur? Et tandem: quare, & oves, & equi,

quamvis non eadem sævitie, qua boves, hoc anno tali contagio corripiantur? Etenim hæc pariter animalia magnam partem iisdem, quibus boves, vescebantur pascuis; sicque iisdem seminiis verminosis suos contaminabant humores.

XX.

Quod vero quam plurima ovula, seu seminia verminosa, ut superius dixi, tempore verno, & æstivo in superficie terræ inertia hæserint, patet exinde, quod prædominante in autumno humiditate magna, & frequens insectorum culicum, crabronumque copia oppleverit terram, & aëra, quod quilibet magno cum sui incommodo expertus est.

XXI.

Interim prævideo, futuros, qui dubitent; an lues bovina a tali seminio verminoso, deglutito, & ad massam humorum delato dependeat. His ego oppono observationes, quibus tales convincantur,

tur, ut idem mecum ſentiant: ſic ex relationibus, quas quisque curioſus habere poteſt, conſtat, quod armenta, quæ raro, tarde, & domi prius jam ſaturata ad paſcua ducebantur (ſi à contagio ſatis cautum erat) innoxia, & a tali lue libera perſtiterint; quin imo adhuc talia perſiſtant, quamvis alia in vicinia magnam partem jam deleta fuerint.

Quia hoc non obſtante, quod talia armenta ad paſcua ducta fuerint, tamen non illa aviditate, & illa profunditate gramina prehendebant, ut prædicta ſeminia verminoſa una cum gramine deglutiviſſent; ſicque, ut in aliis bobus factum eſt, ſuos humores inquinaſſent; unde etiam evenit, ut talia animalia, ſi a contagio cautum erat, ſana, & integra permanſerint.

XXII.

Talia exempla dantur plura, ſic in oppido Himberg uno circiter milliari Vienna diſtante, menſe Octobri hujus anni

omnes vaccæ ad internecionem delebantur; exceptis tantum duobus præſepibus, nimirum Perill. Domini de Prandau, & alterius civis; quorum vaccæ, quia in æſtate raro, & prius domi jam ſaturatæ ad paſcua ducebantur, immunes a tali lue ſupervivunt. Idem contigit in multis aliis villis, & oppidis.

XXIII.

Denique ex his, quæ hucusque dicta ſunt, patet cauſa materialis hujus truculentæ luis bovinæ, quæ in prædicto ſeminio verminoſo, evolubili conſiſtit.

Hujus aſſerti ulterior ratio deduci poteſt ex his; quæ in lue affectis, & quæ ex lue denatis armentis obſervantur; obſervantur autem ſequentia.

XXIV.

Primo: dum incipiunt ægrotare, abhorrent ab omni cibo, avidius tamen ſolito ſolent haurire potum. Triſtes, &

ca-

caliginosos exhibent oculos. Vaccæ mox privantur lacte. Nares, lingua, fauces, denique totum os internum ulcerosum, & quasi apthosum apparet. Quare hæc videtur esse ratio, quod præ dolore ruminare quidem, sed non masticare valeant. Item ex eadem hac ratione fit, ut irritatis continuo narium, oris, fauciumque glandulis, muci, salivæ, lymphæque plus minusve fœtentis perpetuus fiat secessus. Ex quo dein exurgit, ut, nisi humorum deperditorum copia, per copiosum, & appropriatum potum resarciatur, fauces arescant, lingua fiat nigra, & striata, anhelitus perquam difficilis, ac tandem gangræna & mors.

Aliquos diarrhæa cum sanguine stercori mixto necat. Aliis vero, quibus venter constipatur, tumor tympaniticus accedere solet. Item alii, materia peccante ad encephalon versa, derepente, ut apoplectici corruunt. Adsunt sæpe alia

etiam ſymptomata, quæ hanc diram luem comitari ſolent, verum hæc, quæ adduxi, ſunt præ alliis communiora.

XXV.

Secundo ſuperſunt declaranda illa, quæ in exenteratione lue denatorum boum plerumque inveniuntur: In omnibus inveniebantur vomicæ, abſceſſus, qui vel pulmones, vel hepar, ventriculum, omaſum, meſenterium, vel cerebrum, aliaque viſcera occupabant, qui rupti, aperti magnam materiæ putridiſſimæ copiam fundebant.

Iſti abſceſſus videntur eſſe effectus ipſius morbi, in quantum materia morbifica in humoribus hærens per modum metaſtaſis ad has partes deponitur, quas corrumpit.

XXVI.

Tandem tertio: ſive materia illorum ulcuſculorum nares, faucesque occupantium, ſive illorum abſceſſuum miſcroſco-

pio exploretur, ſemper obſervantur innumerabiles vermiculi, quos etiam videre poſſumus, ſi humores, qui in vaſis continentur, tali ſubjiciantur examini quod in tractatu de contagio jam demonſtratum fuit. Unde etiam fit, ut, ſi portio talis materiæ pro ejusdem morbi in aliis ſanis bobus inſitione aut inoculatione adhibeatur, idem morbus ultro propagetur; ſicut in variolis, & morbillis fieri ſolet.

XXVII.

Ex quibus ultro cauſa materialis luis bovinæ eluceſcit. Quia, ſi eodem modo communicari, propagari, & multiplicari poteſt, ſicut variolæ, neceſſe erit, ut eadem habeat pariter principia, nimirum ſeminia verminoſa.

XXVIII.

Item exinde patet principium, & progreſſus morbi in lue affectis armentis: dum enim talia ſeminia verminoſa evolvi, & ſoboleſcere incipiunt, fit, ut par-

tim excrementis, partim ovulis totam maſſam humorum inficiant. Uti ſuperius in tractatu de contagio de aqua nuceriana turbida, & fœtida reddita dictum eſt. Iſtæ partes hæterogeneæ maſſæ humorum mixtæ dein ſubſiſtunt in minimis vaſis, glandulis, aliisque viſceribus. Unde dein illa ulcuſcula narium, oris, faucium, item vomicæ, abſeſſus, diverſa occupantes viſcera, derivari debent.

XXIX.

Quemadmodum enim in lue, ſeu peſte, quæ proh dolor! genus humanum quandoque affligit, obſervantur illi præcipue talia miaſmata peſtifera facile contrahere poſſe, qui natura, temperamento, & ætate vegeti, & ſucculenti ſunt; ita id ipſum, non tantum in hac lue bovina, ſed etiam in aliis, alio tempore hic graſſantibus, obſervabatur. Sic boves juvenes, vegeti, robuſti, obeſi præ aliis

huic

huic morbo obnoxii erant; minus vero ſenes, debiles, ſtrigoſi.

Ratio hujus obſervationis non niſi ex noſtris de contagiò principiis reddi poteſt; quia in illis, ſicut virtus generativa, ita etiam virtus pro fotu, maturatione, & excluſione, ſeu evolutione ſeminii verminoſi quam maxime viget; in ſenibus vero, & debilibus min.

SECTIO SECUNDA

De

Luis bovinæ præſervatione, curatione; aliisque ad hunc ſcopum ſpectantibus.

XXX.

Ex his jam datis, & præſuppoſitis de contagio, tam in genere, quam in particulari principiis, ſequitur methodus

truculentæ hujus luis bovinæ tum præservativa, cum curativa.

In ſimili enim lue bovina tria nobis exurgunt executioni danda officia.

Primum reſpicit ſanos boves; ut videlicet illi a morbis præſerventur.

Secundum verſatur circa boves lue affectos; ut illi ſanitati reſtituantur.

Tandem tertium, cujus pauci meminerunt, ut caveamus, ne graſſante lue bovina, homines aliquod ſanitatis detrimentum exinde capiant, contrahantque.

XXXI.

Ad officium præſervationis, quo nimirum armenta ſana conſerventur, multa & ſane longe plura, quam quæ in uſum vocari ſolent, ſpectare videntur. Etenim conſervandæ armentorum ſanitati invigilare debemus, non tantum illo tempore, quo aliqua epidemica, & contagioſa lues graſſari obſervatur; ſed omni alio pariter tempore, ubi hæc longe abeſſe videtur.

XXXII.

Ista conservatio, & præservatio, ad quam perpauci attendunt, consistit in eo, ut armentorum ductores, & custodes, quantum possibile est, curent, & procurent, bobus potum aquæ puræ, & continuo motu depuratæ. Adeoque arceant, quantum fieri potest, armenta a potu aquæ desidis, & stagnantis, quia ex tractatu nostro de contagio constat, aquas stagnantes continere in se innumera animalcula, eorumque ovula; quæ una cum aqua deglutiuntur, subeunt circulum humorum, hos tandem inficiunt, & ad putredinem disponunt.

XXXIII.

Hoc est quidem verum; quod potissima horum heterogeneorum corporum pars una cum excrementis e corpore secedat; interim Clarissimo Lœwenh. subscribere non possum, quod quædam subtiliores portiones vasa lactea non subeant.

Hoc

Hoc evidenter videmus in illis, qui vermibus inteſtinalibus laborant; hi enim corripiuntur ſæpe febre, quæ ab illorum vermium excrementis, per vaſa lactea ad maſſam humorum raptis dependet; & miſeros infantes ſæpe ad maraſmum deducit. Item experientia conſtat, quod minima portio ovi putridi deglutita excitet nauſeam, vomitum, febrem &c. Vide Bœrhav. Chemiæ P. III. adeoque idem dicendum eſt de aquis fœtidis, putridisque.

XXXIV.

Prætérea ad bonum ruralis œconomiæ præfectum attinet, ut caveat, ne armenta ad paſcua ducantur, dum hæc aliqua rubiginis nota conſperguntur; quia in tractatu de contagio oſtendi, rubiginem certa ſeminia verminoſa ſecumferre; quæ in ſimili caſu una cum paſcuis deglutiuntur, maſſam humorum inquinant, & ad putredinem diſponunt.

XXXV.

Si tamen in ſimili caſu armenta ad paſcua ducenda ſunt, hoc fiat tarde; dum nimirum ſol ſuis radiis maximam ſimilis ſeminii verminoſi partem jam diſſipavit, & ad ſuperiorem, ut dicimus, aëra elevavit.

Hæc ſunt, præ aliis, etiam tempore ab omni contagione libero perquam bene obſervanda, & in uſum vocanda. Graſſante vero inter armenta contagione, non tantum his mox dictis, ſed etiam aliis cautelis opus erit, ut

XXXVI.

Primo: ſana animalia caveant a paſcuis, aqua, fœno, ſtramine, item ab omni ſupellectili, quo lue affecta animalia utebantur.

XXXVII.

Secundo: Ex eodem fundamento debet armentorum ſanorum omne commercium cum infectis dirimi. Item infecto-

rum

rum paſtores, canes, homines debent, quam longiſſime fieri poteſt, a ſanis abeſſe.

XXXVIII.

Tertio: Præſepia debent, quantum poſſibile eſt, conſervari munda, diligenter, & ſæpe ab omni humido, & putrido purificari. Huc ſpectant diverſa ſuffimigia, uti & odores fœtidi.

XXXIX.

Quarto: Pro præſervatione commendantur a Veterinariis, ipſa docente experientia, inuſtiones, & ſetacea. De quibus vide Clariſſimos Ramazzin, & Lanciſium. Ratio eorum effectuum eſt: quia ſuperius dixi, quod materia peccans ſoleat deponi ad diverſa viſcera, ſicque illa corrumpat: ſetacea vero hoc impediunt, in quantum materiam peccantem ad illas partes, ubi excitantur, derivant.

Ex eodem fundamento debent inſtitui fortes, & frequentes ſtrigili, aut alio inſtru-

ſtrumento aſpero frictiones, quia ſic transpiratio materiæ peccantis promovetur: Huc etiam referri poteſt purus potus, & victus ex ſalubribus, gramine, aliisque vegetabilibus præſertim virideſcentibus; unde dein fit, ſicut de rubigine dixi, ut maſſa humorum corrigatur, illa, quæ heterogenea illi inſunt, a viribus vitæ digerantur, ſicque cum lotio, excrementis aut alia via e corpore eliminentur.

XL.

Tandem quinto: Multa remedia a Veterinariis pro præſervatione laudantur: talia ſunt maximam partem alias alexipharmaca dicta; ut angelica, carlina, ſcordium, imperatoria, vincetoxicum, baccæ juniperi, lauri, & ſimilia, quæ roborant, & tranſpirationem promovent. Ex quibus dein pulveres, boli, decocta præparari poſſunt.

Aſt, quamvis hæc & ſimilia non improbem, quin imo in aliis, quibus armen-

menta affici ſolent, affectibus convenire judicem; non concipio tamen, quid in illo caſu, ubi diſpoſitio verminoſa, & contagioſa, brevi evolvenda, in corpore latitat, talia efficere valeant. In ſimili enim caſu unica vermifuga, & vermicidia ſic dicta anthelmintica remedia indicari videntur. Quia hæc unica paria ſunt verminoſo huic ſeminio digerendo, deſtruendo, & inerti reddendo, aut tandem ſic digeſto, & præparato per diverſas vias e corpore eliminando.

XLI.

A vulgaribus autem anthelminticis in materia medica Venerabilis Boerhavii & Clariſs. Gorter expoſitis, vix aliquid ſperandum credo, quia hæc fere eodem modo, ut ſuperius dicta alexipharmaca angelica, carlina, imperatoria &c. vires ſuas exerunt.

Adeoque recurrere debemus ad illud notum, univerſale & ſpecificum anthelmin-

minticum, videlicet mercurium; de cujus virtute nullus practicorum hoc tempore difficultatem aliquam movere poteſt.

Difficultas igitur tantum ſupereſt, qua ratione, & quomodo præparatus convenientius, & opportunius exhiberi poſſit.

XLII.

Ego multiplici experientia didici, quod mercurius dulcis cum camphora mixtus, & exhibitus omnibus aliis ejusdem præparationibus præferendus ſit; quia partes oleoſæ, camphoræ mercurii dulcis partes acres ita obvolvunt, & irretiunt, ut genus nervoſum, & vaſculoſum minus irritare valeant; ſicque majorem virtutem alexipharmacam, vermifugam & vermicidiam, minorem vero ad ſalivationem exerant. De hac mixtione mercurii dulcis cum camphora, & exinde reſultante majore vi alexipharmaca lege elegantiſſimum tractatum, ſeu obſervationes de pe-

ſtilentia Ucraniæ Eruditiſſimi Friderici Schreiberi.

XLIII.

Præſervationis gratia exhibentur quotidie ſcrupuli duo, aut ultro mercurii dulcis, & dragma dimidia aut ſcrupulus unus camphoræ. His ſoleo addere aliquid de aſſa fœtida, de myrrha, aut etiam de floribus ſulphuris; quæ cum prioribus mixta, in forma pulveris facile propinantur; ſic continuando per octiduum, & magnam copiam liquidi ſuperbibendo.

XLIV.

Quia vero tale remedium miſeræ ruſticorum ſorti nimio eſſet pretio, judico, quod hujus virtus ſuppleri poſſit, decoctione mercurii vivi in aqua; talis aqua mercurialis poterit miſceri cum aqua potus ordinarii. In quo caſu non aliæ eſſent expenſæ, quam lignorum, quæ ad decoctionem adhibentur. Experientia autem omnium practicorum conſtat, quod talis

aqua

aqua decocta in corpore humano virtutem vermifugam & vermicidiam exerat; unde non video rationem in contrarium, quare non idem efficere possit in corporibus brutorum.

XLV.

Item sat levi pretio posset haberi remedium alexipharmacum, mercuriale ex mercurio sublimato, & spiritu frumenti; quod, sicut hoc tempore novimus, hominibus sine omni noxa, & periculo propinari posse, ita nullus dubitarem, quin idem remedium etiam brutis impune exhiberi possit.

Hæc tamen cautela in exhibitione hujus remedii, sicut mox antea de mercurio dulci dixi, adhibenda est; ut copiosus potus aquæ cum surfuribus, aut hordeo, aut ejusdem farina decoctæ subsequatur. Hoc valentissimum in multis contumacissimis morbis remedium, uti & plura similia Illustrissimo, Eruditissimo D.

L. B. van Swieten debemus. Sed de hac materia mox ſequentur plura.

XLVI.

Pro coronide quæri poſſet, an purgationes & venæſectio aliquid ad præſervationem conferre poſſint?

Reſpondeo, quod ſicut hæc duo remedia homines, graſſante inter illos aliquo morbo contagioſo, ab illo non præſervant, quin imo potius noceant, quia vires exhauriunt, idem dicendum ſit in noſtro caſu.

Hæc ſunt, quæ conſervationem & præſervationem armentorum a lue graſſante concernunt. Ordine ſequitur, ut de armentis lue affectis, ſanitati reſtituendis agamus.

XLVII.

Dum graſſante inter armenta contagione prædicta XXIV. expoſita ſigna in aliquo horum adſunt, concludere jam poſſumus, tale animal eadem lue affectum, & infe-

infectum esse; quare quantocius hoc a sanis, vel, quod melius, sana ab hoc, separari debent.

Multi Veterinariorum solent mox ad purgantia, & largissimas sanguinis detractiones confugere.

Verum cum his caute mercandum; nam purgantia acria, drastica febrem, putredinem, & morbum augent: profusa sanguinis detractio vires materiæ peccanti digerendæ necessarias aufert, unde plus nocet, quam prodest.

Verum tamen si calor, sitis, & febris sit vehemens, si vires adsunt, poterit sectio venæ, vel sub lingua, aut in cauda, vel alibi institui. Sicut purgantia drastica nocent, ita lenitiva, & antiphlogistica probantur; uti sunt decocta prunorum, tamarindorum, & similium, quæ pro potu ordinario exhiberi possunt.

Item inuſtiones, ſetacea ex eadem, ut ſuperius dixi ratione hic pariter conveniunt.

XLVIII.

Cura, quæ in lue affectis bobus inſtitui ſolet, eſt multiplex; aliqui enim diverſa alexipharmaca, acria, volatilia in uſum vocare ſolent, quibus plus detrimenti, quam emolumenti afferunt,

Alii vero in cura antiphlogiſtica ſubſiſtunt, quæ conſtat ex decoctione hordæi, avenæ, aut eorum farinis, furfuribus; item malva, althæa, & nitro; tales decoctiones pro potu ordinario in uſum vocantur.

XLIX.

Quidam exhibent ſuperius jam expoſita alexipharmaca, ut angelicam, carlinam, ſcordium, flores ſambuci, baccas juniperi, & ſimilia; quæ vel in pulvere, vel in bolo; item cum aqua aut aceto decocta propinant.

Ve-

Verum Eruditiss. Lancisius asserit, omnia hæc remedia vel indifferenter se habent ad ipsum morbum, vel plus damni, quam emolumenti afferunt.

L.

Quapropter multi alii diversa & valentiora experti sunt remedia, a quibus plus commodi sperandum est.

Sic Clariss. Ramazzini laudat, & suadet in simili lue bovina corticem peruvianum: propter analogismum ab hominibus, quibus in febribus malignis contagiosis perquam proficuus esse solet.

LI.

Alii vero, inter quos princeps est Expertiss. Christ. Salckow. Medicus Berolinensis, laudant, extollunt vitriolum album, sed nimis laboriose præparatum.

Primo enim ter infunditur, & digeritur cum aceto vini; dein ter cum urina pueri, ac tandum ter cum spiritu vini; dein inspissatur ad ignem, & conservatur

in vase vitreo, ne liquescat. Hoc sal propinatur ad duas, tresve dragmas pro dosi, & bis de die in aliquo liquido; cui etiam magna quantitas alicujus liquidi antiphlogistici jungi debet.

Hoc remedium dicitur esse specificum in morbis malignis tam hominum quam brutorum.

LII.

Ast mihi præplaceret compendiosa methodus vitrioli exhibendi in lue bovina, quam habent Eruditissimi, Fridericus Börnerus Medicus Wittenbergensis, & Gerhardus Wagner. Isti Expertissimi Viri exhibent ægris bobus quotidie unciam dimidiam vitrioli albi, cum sufficiente quantitate mellis exacte mixti, in liquore appropriato, &, ut asserunt, optimo cum effectu.

Ego hanc dosim divisi in duas æquales, quarum unam mane, & alteram a meridie propinari curavi.

Item

Item curabo, ut habeam in posterum plures occasiones hoc remedium experiundi, & definitive aliquid de ejus virtute vermicidia, vermifuga, & alexipharmaca statuendi.

Superessent multa alia remedia, a diversis Autoribus exaltata, verumtamen, quia vel inertia sunt, vel quia cum his, quæ jam exposui, conveniunt, missa facio.

LIII.

Illius vero remedii pro lue bovina curanda, quod in meo tractatu de contagio exposui, hic meminisse oportet.

Hoc remedium pro basi habet mercurium dulcem, & camphoram, his dein pro diversa ratione & indicatione potest addi vel assa fœtida, vel myrrha; nitrum vero plerumque.

Dosis mercurii, ut XLIII. dixi, est ad scrupulos duos, camphoræ vero ad dragmam dimidiam.

Talis dosis debet propinari bobus lue affectis bis de die in liquido appropriato, donec videantur melius habere, quod intra quatuor aut quinque dies, aliquando etiam prius evenire solet. Tunc autem exhibetur una tantum quotidie dosis, superbibendo copiosum potum appropriatum.

Potus vero, quem ego exhibere soleo, est decoctum antimonii crudi cum hordeo, aut avena, aut cum eorum farinis; quod est antiphlogisticum & anthelminticum.

LIV.

Ex his, ut mihi ab illis, qui bobus lue affectis præerant, relatum fuit, fit copiosior muci, salivæ, plus minus viscidorum per nares, per os secessus; qui eo magis promovetur, si fiant frequentes oris nariumque ablutiones, absterfiones, & cum syringa ex mox dicendis liquoribus injectiones. Sic enim animal morbidum, triste, languens, & promisso capite ruminans

nans, videtur brevi fortius, caput facilius attollere, magis appetere, ac tandem resipiscere.

LV.

Hoc remedio superioribus jam annis, grassante inter armenta contagione, magno cum emolumento sæpe usus fui. Ast in epidemia, quæ nunc, nimirum anno 1761. genus boville affligit, & infestat, majore quam unquam attentione idem remedium in usum vocavi; & ab omnibus veterinariis, qui ægris bobus præerant, accepi, quod a nullo alio remedio meliorem effectum, sive præservative, sive curative hoc exhibitum fuerit, experti sint, quam ab illo, quod mox descripsi.

Quapropter etiam atque etiam aliis, quibus copia hujus experiundi remedii datur, ejusdem usum, ejusque effectuum diligentem annotationem commendo, ut cognoscant, hoc aliis hucusque notis remediis anteferendum esse.

LVI.

LVI.

Superius jam dixi, quod doleam, hoc remediam pro pauperculis ruricolis nimio esse pretio; unde etiam judicavi, huic remedio aquam decoctam mercurialem, potui ordinario mixtam, vel mercurium sublimatum cum spiritu frumenti, illi substituendum fore, servatis tamen cautelis superius jam notatis. Etenim experientia practicorum constat, hæc remedia in corpore humano vermifuga, & vermicidia esse; item sine noxa, & impune in usum vocari posse; Cur igitur in corporibus brutorum eosdem exerere effectus non valeant, vix quisquam inficias ibit. Unde formula ultimi remedii sequens esse poterit:

℞. Mercurii sublimati gran. V.
spirit. frumenti unci. X.
misc. d. ad. vit.

Optima proportio mercurii sublimati respectu spiritus frumenti, quæ in præscriptione hujus remedii observari debet,

est

eſt illa, qua primus ſe habet reſpectu ſecundi ſicut unum ad 960. Quæ proportio habetur in formula adjuncta.

LVII.

In uſu hujus remedii poſſumus incipere a minore doſi, & ſucceſſive ad majorem aſcendere. Sic, ſi præſervative hoc remedium bobus ſit propinandum, exhibeatur prima die unum cochlear mane, & alterum a meridie; ſecunda die duo cochlearia mane, & duo a meridie; tandem nychthemeri ſpatio poſſumus etiam ultro aſcendere, & omni trihorio, aut quadrihorio duo propinare cochlearia; ſicque continuando per octiduum, dein vero minuendo doſim, ſucceſſive ad duo cochlearia deſcendere.

LVIII.

Si vero hoc remedium bobus infectis ſit exhibendum, poterimus eandem propinandi ſequi methodum, ſicque continuare,

re, donec morbidi boves reſipiſcere videantur.

Hic pariter, uti ſuperius jam dixi, monendum eſt, ut huic propinato remedio copioſus potus demulcens, & antiphlogiſticus adjungatur.

LIX.

Hæc, quæ hucuſque dixi, concernunt præſervationem & curationem luis bovinæ; ſuperſunt adhuc aliæ indicationes ad curationem pertinentes, quæ urgentiora ſymptomata, luem bovinam concomitantia, reſpiciunt, & mitigant.

Primum dolorificum, moleſtum & periculoſum ſymptoma, quod in bobus lue affectis obſervatur, ſunt illa ulcera, quæ nares, faucesque occupant, & ſæpe ſe ad pulmones, omaſum, ventriculumque extendunt; unde dein non tantum difficilis maſticatio, ſed & laborioſa deglutitio evadit.

In

In ſimili caſu debent fieri, & ſæpe repeti oris lotiones, ablutiones, & abſterſiones ex decocto hordei, avenæ, malvæ cum nitro & melle.

Si vero talia ulcera profundius hæreant, & deglutitio fiat difficilis, quia manu ad locum affectum penetrare non poſſumus, debemus in ſimili caſu alicui virgæ, ſubtiliori bacculo, aut teſtui ſpongiam, aut lintea convoluta alligare, & firmare; hæc dein prædictæ decoctioni intingere, & partes affectas ſæpius attingere, ſicque, quantum poſſibile eſt, lenire.

Hunc effectum eo citius obtinere poterimus, ſi ex eodem decocto fiant cum ſyringa in fauces injectiones. In quo caſu, ſi magis demulcentia expetantur, poterunt ipſi decocto diverſa mucilaginoſa, ut ſemina cydoniorum, pſylii, item althæa, malva aut ſimilia adjungi.

LX.

LX.

Aliud vero ſymptoma, quod XXIV. expoſui, nimirum diarrhæa, aut dyſſenteria cum atrocibus ventris roſionibus, citiſſimam gangrænam & mortem minatur. Si enim talia adſunt, ſignum eſt, quod materia peccans, acris, cauſtica ad inteſtina converſa, ſimilem ulceroſam conſtitutionem ibidem efficiat, ſicut dictum fuit de ulceribus oris, & faucium.

Quapropter in ſimili caſu debent diverſa, & copioſa diluentia, mucilaginoſa, roborantia, & anodyna in uſum vocari.

Diluentia & mucilaginoſa haberi poſſunt ex decoctione hordei, aut ejus farina, malva, althæa, tormentil. biſtorta, & ſimilibus.

Ad roborantia ſpectant diverſa, dummodo non ſint volatilia, talia ſunt: mirobolani, theriaca veneta; quin imo juxta mentem clariſſimi Ramazzini, ut

jam

jam dixi, cortex peruvianus, qui non tantum interne ad unciam dimidiam pro dosi aliquoties de die propinari poterit, sed poterit quoque cum prædictis mucilaginosis coqui & per modum enematis sæpius injici.

Similibus clysteribus, tam roborandi, quam dolores sopiendi causa addere possumus quandoque unciam circiter dimidiam theriacæ venetæ.

Item cum priore decocto possunt coqui duo, aut tria capita papaveris albi una cum seminibus & corticibus contusa; dumque dolores, & tormina urgent; quod ex diversa conversione, convolutione corporis, & boatu cognoscitur, in alvum injici.

Si hæc, quæ annotavi, fiant materia acris & caustica intestina continuo irritans temperabitur, abluetur, abstergetur; partes læsæ, & debiles, robora-

buntur; & tandem dolores ventris mitigabuntur.

LXI.

Quemadmodum autem evenire solet, ut venter nimium solvatur, continuoque fluat; ita sæpe contingit, uti superius insinuavi, ut stringatur & obstruatur; in quo casu fit, ut neque excrementa, quin imo nec lotium secedat, venter attollatur, infletur, & tympanitidem repræsentet.

Si hæc ideo fiant, quod in aliquo abdominis viscere hæreat abscessus; aut si serum sit jam extravasatum, tunc omnia medentium conamina & superflua & irrita sunt.

LXII.

Si vero vasa necdum sunt rupta, aut erosa, sed tantum distenta; si causa intra intestinorum canalem hæreat, tunc spes superest, ut hæc solvatur, & e corpore eliminetur.

Hoc

Hoc fit methodo, quæ quidem Medicis, sed Veterinariis vix inculcari potest. Nam, si ex certis signis videatur, ut plerumque esse solet, inflammatio cum hoc affectu conjuncta; & animal affectum adhuc viribus constare; debet fieri congrua sanguinis detractio; secus enim, si hæc non instituatur, presso pede gangræna, morsque ingruunt.

In hoc statu potus debet esse ex radicibus asparagi, graminis, petroselini, floribus genistæ, & similibus, sed semper cum copioso nitro.

His, si febris remissior adsit, baccæ juniperi, alkekengi cum diversis Roob, ut ebuli, juniperi, de spina cervina, adjungi poterunt.

Item clysteres debent pariter sæpius injici, tales constare possunt ex decocto herbæ mercurialis, baccarum juniperi, aut etiam ex an ea dictis Roob, quibus magna copia salis polychresti, aut nitri;

aut in hujus defectu, salis communis addi potest.

LXIII.

Hæc ipsa remedia conveniunt pariter, si prædictus tumor tympaniticus sit sine inflammatione. Diversitas enim curationis in eo tantum consistit, quod in hoc casu fortiora, acriora magisque tam excrementa, quam lotium promoventia in usum vocari possint.

Hæc sunt symptomata, quæ morbos armentorum plerumque concomitari, & tam molesta, quam periculosa esse solent.

Pro horum curatione adduxi communissima, & perquam vulgaria remedia, quæ etiam ruri cuilibet nota, & sine, aut saltem levissimis expensis haberi possunt.

Item unicuique hic inculcatum velim, quod meus hicce scopus sit, ut morbos armentorum contagiosos solum, non vero alios, quibus bruta vexari solent, explanem, exponam.

Alii enim brutorum morbi, prout alias, & diverſas habent cauſas, ita etiam diverſam, cujus hic ſolicitus non ſum, exigunt curationis rationem.

LXIV.

Tandem ſupereſt exponendum ultimum, quod ſectione II. numero XXX. propoſui, Medici officium; quod in eo conſiſtit, ut pro poſſibili caveamus, ne ex contagione armentorum homines aliquod detrimentum, labemque capiant, contrahant.

Cuilibet notum eſt, quantum proh dolor! detrimentum œconomiæ domeſticæ & rurali ex graſſante lue bovina afferatur. Exinde enim ſilet & languet agrorum tam neceſſaria cultura, quam preſſo pede ſequitur annonæ caritas, ad faciendam ſementem difficultas; ac tandem ad præſtanda prædiorum vectigalia impoſſibilitas, & reliqua hujuſcemodi damna in Rempublicam redundantia.

Quomodo vero his tam præservative, quam curative obviam eundum ſit, ſuperius jam dictum fuit; reliqua vero a Clariſſimis & Expertiſſimis Reipublicæ curatoribus potius, quam a Medicis dependent.

LXV.

Eſt vero aliud damnum, quod hominum ſanitati, tempore bovillæ peſtis, imminet, inſidiasque minatur.

Nullum inter bruta animal videtur homini, non tantum ad ejusdem œconomiam, verum etiam ad ejusdem nutrimentum tam opportunum, tam neceſſarium, quam armenta ipſa. Huc ſpectant eorum carnes, lac, butyrum, caſeus, ſevum, adeps, corium, denique omnes eorum partes habent certos inter homines uſus.

Si iſtæ partes ſint ſanæ integræ, & ſine labe, ſanitati tam facile non officiunt; ſecus vero, ſi jam corruptæ, putridæ, aut corruptioni proximæ exiſtunt, tunc ſanitatem facile lædere poſſunt.

Hoc

Hoc ipſum legimus in ſacris litteris, ubi fracidæ carnes, adeoque eo magis jam putridæ, prohibentur. Sic Deuter. capite XIV. *Quidquid autem morticinium eſt, ne veſcamini ex eo.*

Ex quo patet, quod æterna providentia nos a ſimilium carnium uſu, & eſu dehortetur, ne ſanitas exinde detrimentum aliquod capiat.

In hoc videntur quidam Medicorum plane oppoſita ſentire; nam aliqui nimis laxi, & liberales, carnes bubulas, lacticinia tam ſanorum, quam infectorum boum inſontia eſſe autumant; quales erant quondam Medici Patavini: uti videre eſt apud Ramazzinum.

Alii vero nimis rigoroſi, & ſcrupuloſi judicant, graſſante lue bovina, ab omnibus carnibus bubulis & lacticiniis tam ſanorum, quam infectorum boum, abſtinendum eſſe: de quibus mox plura dicemus.

LXVI.

Quapropter in opinionibus tam contrariis, & oppositis judico, grassante lue bovina sequentes regulas observandas esse.

Primo, ut cadavera lue denatorum integra, & una cum pelle quantocius, & sat profunde tumulentur.

Secundo, ut lege, & Authoritate publica caveatur, ne aut carnes, aut lac infectorum animalium in usum vocentur.

LXVII.

Istæ duæ regulæ indigent ulteriore explanatione & probatione; eo quod prævideam eas non ab omnibus probatum iri.

Difficultates enim, quæ contra moveri possent, consistunt potissimum in eo, quod ex datis de contagio principiis constet, quod materia peccans contagiosa suæ inhæreat quam attingit, speciei, neque ad aliam soleat evagari speciem; sic nos ipsi diximus, & ipsa experientia docet, quod homines, canes impune, sine noxa,

& ſine periculo inter armenta infecta verſari poſſint.

Unde ſupponendum eſt, quod, quamvis carnes, lac, & alia brutorum infectorum in uſum vocentur, homines talem luem exinde non contrahant.

LXVIII.

Ad hoc, quod hic opponi ſolet, reſpondeo, quod materiæ, de qua hic agitur, gravitas Reipublicæque commodum requirat profundam, ſeriam, & reflexam attentionem, antequam quidquam hac de re decernamus. Hæc non debet ex quibusdam ſubtilioribus quæſtionibus, aut hypotheſibus erui; ſed ex ipſis rebus, ſeu ex ipſis repetitis, ſæpiusque captis obſervationibus peti.

LXIX.

Obſervationes autem, quæ graſſante lue bovina longa annorum ſerie confirmatæ habentur, ſunt ſequentes. Sic

Obſervamus primo, quod carnes, lac, & alia ex lacte, ut caſeus, butyrum, animalium infectorum hominibus noxia, & morbifica eſſe ſoleant.

Ratio hujus eſt, quia talia jam ſunt plus, aut minus putrida, adeoque fovent in ſe certa miaſmata verminoſa, quæ, ſi in cibum ab hominibus aſſumantur, ſucceſſive maſſam humorum inquinant, ad putredinem, & tandem ad diverſos morbos putridos diſponunt; quod fit, prout in ſimilibus ſubjectis, diverſa humorum diſpoſitio ſubeſt.

Unde verum quidem eſt, quod in ſimili caſu diverſi morbi putridi exinde exurgant, qui tamen ſpecie ab illa lue bovina differunt; eo quod alia ſeminia verminoſa in humanis corporibus jam præexiſtentia exinde in actum deducantur; verum quamvis concederemus illa ipſa ſeminia carnis bovillæ putridæ etiam una evolvi, tamen exinde inferri non poteſt,

quod

quod morbus exinde resultans sit idem specie cum lue bovina; quia caro bubula putrida continet in se seminia verminosa, diversa ab illis, quæ sunt causa luis bovillæ; etenim in denatis ex aliqua lue animalibus, illud miasma contagiosum, quod fuit causa talis luis, videtur jam aut dissipatum, aut iners redditum; dum vero tale corpus, ut fit præcipue post mortem, sensibiliter putrescere incipit, tunc evolvuntur alia seminia verminosa, quæ prius inertia in corpore latebant; & talia specie, ut dixi, differunt ab illis, quæ talem luem efficere valent, ut dein clarius patebit.

LXX.

Eodem modo considerari debet altera observatio:

Observamus nimirum secundo, quod, si cadavera non debito modo tumulentur, suo putrore, seu miasmate putrido verminoso aëra inficiant; hoc dum partim

ipsa

ipſa inſpiratione, partim ſalivæ deglutitione maſſæ ſanguineæ communicatur, eandem inficit, ad putredinem & morbos putridos diſponit.

Hoc proh dolor! videmus, dum ex comiſſis præliis cadavera aëri expoſita putreſcunt, & aëra inficiunt.

Id ipſum pariter obſervamus ex noxiis paludum effluviis, dum enim deſides, ſtagnantesque aquæ una cum diverſis vegetabilibus, iisdem mixtis, putreſcunt; tunc vicinum aëra pariter putrido miaſmate afficiunt, inquinant; ut vicini incolæ, qui hunc inſpirare debent, diverſis exinde febribus putridis laborent. Ut talia apud Eruditiſſimum Lanciſium quisque legere poteſt.

LXXI.

Quapropter his, tanquam certis obſervationibus præmiſſis, nemo mirabitur, ſi apud Authores fide dignos legat, luem contagioſam ab una animalium ſpecie ad

aliam

aliam transiisse, ut hoc fusius ostendi, & exposui in Tractatu de contagio.

Item mirari non debemus, quod inter armenta lue affecta, homines, canes sine notabili noxa versari possint; qui tamen ab eorum comestis putridis carnibus, aut ab eorum cadverum exhalationibus, tam facile lædi possunt.

Ratio hujus ex mox antea dictis desumi potest; quia alia est causa materialis illorum, quæ ex secundo, ut ita dicam, motu putrefactionis evolvuntur; & alia, quæ in viventibus ipsum morbum excitat, & fovet.

Ex quo inferre possumus, quod, grassante lue bovina, tam carnes, quam lacticinia sanorum boum sine noxa, quinimo sine periculo amittendæ sanitatis in usum vocari possint.

Ex quo fundamento etiam derivari potest ratio alterius observationis, qua videmus, cadavera post mortem, ex mor-

morbo contagioso illatam, non esse tam facile contagiosa, uti erant durante morbo, aut etiam tardius, dum fœtere, & secundo putrescere incipiunt. Sic notum est, sandapilarios, & Vespillones, grassante inter homines peste, salvos & incolumes plerumque versari.

Quæ omnia, & plura similia intelligi, & concipi eo facilius poterunt, si parumper reflectamus ad illa, quæ in tractatu de contagio, de insectorum metamorphosi, item de diversis, quibus non tantum corpora animalium, sed & vegetabilium, constant seminiis animatis; sic enim concipiemus, quod non omnia simul, sed successive tantum sobolescant, & evolvantur.

Hic plura alia, quæ tam curationem luis bovinæ, quam, vel maxime ejusdem præservationem concernunt, dicenda essent; inter quæ insitio, & inoculatio luis

bo-

bovinæ, a me in tractatu de contagio jam descriptæ, numerari debet. Verumtamen, quia plures similes cautelæ apud Eruditissimos, Ramazzinum, Lancisium aliosque clarissimos Authores legi possunt, tales missas facio.

FINIS.



ERRATA NOTABILIORA
IN
TRACTATU DE CONTAGIO.

Pagina 40.	Linea 9.	debent	loco	debet.
70.	- - - 2.	quare	- -	quaer.
76.	- - - 1.	ita	- -	item.
170.	- - - 2.	1757.	- -	1751.
188.	- - - 12.	quæ	- -	qui.
213.	- - - 4.	aphthoſum	-	apthoſum
214.	- - - 8.	omaſum	-	onaſum.
217.	- - - 9.	minus	- -	min.


TRACTATUS II.

DE

VARIOLIS.

AUTORE

MARCO ANTONIO
PLENCIZ,
MEDICO VINDOBONENSI.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆSAR. REG. APOST. MAJEST. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.
MDCCLXII.

PRÆFATIO AUTORIS
Ad Tractatum de Variolis.


ateries de variolis adeo jam a quam plurimis Eruditissimis Viris trita hucusque fuit, ut metuam, ne de his acturus actum agere cuipiam videar.

Verum tamen *hoc non obest*, (dicit Erudissimus D. Werlhoff in Præfatione de novitate variolarum) *quo minus indoctior quisquam facta rei alicujus curiosiori inquisitione in virorum doctissimorum conjecturis aliquid nonnunquam inveniat, ubi rem acu tetigisse haud videntur*.

Etenim cuilibet in praxi medica versato notum est, multa, quæ tam æthiologiam, quam pathologiam atque Therapeuticam variolarum præcipue malignarum con-


cernunt, adhuc desiderari, quibus neque ego, neque quisque alius tam facile satisfacere valet.

Interea confido, atque spero, fore, ut benevolum Lectorem laboris, quem in lectione hujus de variolis Tractatus impendet, non pœniteat.

In adjunctis observationibus tam in hoc, quam in sequente de Scarlatina Tractatu nomina ægrotorum, maximam partem expressi, ut quisque ingenuus Lector, has non confictas aut ad propriam hypothesim, ut fieri solet, ornatas judicet, sive suspectas habeat.

Reliqua benigno Lectori dijudicanda relinquo. Vale.

Se-



Series rerum notabiliorum, quæ in Tractatu de variolis continentur.

CAPITE I.

I.

Communis & erronea est celebrium etiam Medicorum opinio, variolas & morbillos secundum magis & minus tantum differre. Unde resultat, ut minus apposite variolas & morbillos, tam quoad æthiologiam quam pathologiam una eademque fidelia pertractent. Vide §. 1. 2. 3.

CAPITE II.

VI.

Necdum evidenter demonſtratum eſt, quid ſit & in quo proprie conſiſtat febris. 24.

VII.

Exponuntur quædam ſingularia, & quaſi anomala ſymptomata, quæ quandoque variolas præcedere ſolent. 27.

VIII.

Exhibentur communiora ſymptomata, quæ variolas præcedere, concomitari, & ſubſequi ſolent. 28. 29. &c.

IX.

Quamvis variolæ tempore æſtivo graſſantes plerumque benignæ, illæ vero, quæ hiemem obtinent, maximam partem malignæ obſerventur; apud nos tamen aliquot ultimis epidemiis contrarium obtinuit.

X.

Adducuntur epidemiæ variolarum tam benignarum, quam malignarum, quæ hic Viennae intra 30. fere annos obſervabantur. 38. 39.

XI.

Item ſymptomata, quæ in variolis malignis miliaria præcedere ſolent, ex quibus miliaria futura expertus medicus prædicere poteſt. 40.

XII.

Talia miliaria raro critice, ſæpius tamen ſymptomatice variolis accedere ſolent. 42.

XIII.

Idem intelligendum eſt de miliaribus, aliis morbis acutis, inflammatoriis, ut pleuritidi, peripneumoniæ, ſupervenientibus. 44. 45.

XIV.

Funeſtiſſima variolarum epidemia, quæ ultimis his annis Viennæ obſervabatur, fuit illa, quæ annis 1745. & 1746. *multos e medio ſuſtulit.* 47.

Unde hæc parumper diſtinctius exponitur 48. 49. *Item diſcutitur, an variolarum malignitas, quæ aliquando obſervabatur, regimini calidiori, perverſæque me-*

medendi methodo, aut ipsi epidemiæ attribuenda sit. 53.

CAPITE III.

XV.

Hic afferuntur & rejiciuntur, diversæ de variolarum origine, natura, causisque opiniones. 54.

XVI.

Verum neque Arabum medicorum opiniones, variolas a sanguine menstruo derivantium, neque Listeri, Mead, aliorumque tales a morsu alicujus bestiolæ, deducentium, subsistere possunt. 56. 57. &c.

XVII.

Multo minus illorum sententia admittenda est, qui variolas a capsulis atrabilariis, aut a certis salibus sive acidis, sive alcalinis, sive neutris, aut qui a certis fermentis, derivare conantur. 58. 59.

magis

magis malignæ grassentur, quæritur, an earum seminia inter se differant. 81. 82.

XXIV.

Miasma variolosum videtur primario petere, & afficere genus nervosum. 83. 84. &c.

XV.

Tale miasma variolosum potest diu, quin imo a nativitate corpori inesse. 86. 87. &c.

XXVI.

Hic afferuntur illa, quæ ad prognosim variolarum spectant. 90. 91.

CAPITE VI.

XXVII.

Hic formantur indicationes, quæ pro diverso variolarum stadio, etiam diversæ esse debent. 101.

XXVIII.

Afferuntur remedia, quæ immediate in miasma variolosum agere possunt; quæ sal-

tem

XXXIII.

Venæ ſectio in quibus caſibus celebrari, aut omitti, & qua quantitate inſtitui debeat. 116. 117.

XXXIV.

Quæ cautelæ ratione nitri, & paregoricorum in infantibus adhibendæ ſint. 118.

XXXV.

Remedia volatilia, variolas a centro ad peripheriam pellentia non facile in uſum vocanda. 120.

XXXVI.

Affertur caſus, qui quoad ſimilia remedia adhibenda facile imponere poteſt, quæ, ſi adhibeantur, gangræna & mors acceleratur. 121.

XXXVII.

In ſimilibus caſibus ſanguinis miſſio, & remedia antiphlogiſtica, omnibus aliis præferuntur. 122.

XXXVIII.

XLII.

Hoc aſſertum experientiis & autoritatibus corroboratur. 136. 137. &c.

XLIII.

Adſtruitur regimen, quoad alias res non naturales in variolis obſervandum. 138.

XLIV.

Si ſuſpicio ſit, in primis viis hærere humores peccantes, iſti debent per lenia evacuantia antiphlogiſtica e corpore dilui, & ablui. 140.

XLV.

Si malignitas tanta adſit, ut ordinariis antiphlogiſticis domari non poſſit, debemus ad corticem peruvianum confugere. 141.

XLVI.

Aſſignantur regulæ de exhibendo in ſimilibus caſibus cortice, qui in infantibus, aſſumptioni remediorum obſtantibus, in clyſmatibus injici poterit. 143. 144. &c.

XLVII.

Hydrogala, quæ e tribus aquæ puræ partibus, & una lactis, invicem mixtis,

&

LIII.

LIII.

His adjungitur Celeberrimi medici Bayri variolas tractandi ratio. 173.

LIV.

Breviſſime quædam de inſitione, & inoculatione variolarum. 175. 176.

CAPITE V.

LV.

Docetur, quomodo diverſis ſymptomatibus, quæ variolas antecedere, concomitari, aut ſubſequi ſolent mederi, debeamus. 177.

LVI.

Statuitur quid agendum ſit, ſi adſint convulſiones, aut nimia diarrhæa aut aliqua urgens hæmorrhagia. 186. 7. 8.

LVII.

Demonſtratur in phreneſi nimius, & communis paregoricorum, anodynorumque

LXV.

Quomodo oculi a malignitate materiæ variolosæ custodiendi; affecti vero, quomodo curandi? 224. Si aures, si faciei forma & nitor offendantur, quomodo illis prospiciendum? 232.

LXVI.

Si post variolas ulcera maligna exedentia, si furunculi vires exhaurientes diu & pertinaciter affligant, tunc præter remedia diluentia, & lenientia, cortex peruvianus, & mercurius specifica a celeberrimis practicis deprædicantur. 241.

LVII.

Exponuntur *plures alii affectus qui variolis supervenire solent.*

LVIII.

Tandem capite VI. & ultimo afferuntur quædam singulares de variolis observationes, casusque selectiores, adjunctis ad eosdem annotationibus; quibus illa, quæ de variolis superius exposita sunt, magis dilucidantur, & confirmantur.



TRRCTATUS II.

DE

VARIOLIS

CAPUT I.

De quibusdam ad variolas spectantibus.

Papulæ, quæ quasi vari faciem reliquamque cutem, defœdant variolæ vocantur. Unde fit, ut Indi variolas sub forma excelsæ mulieris effingant, turpi macie torridæ, furiæ instar bicipitis, &

& quatuor brachiis præditæ, cujus ſimulacrum efformant, cui vota ineptiſſima, ut graſſantibus variolis, ab hac turpitudine liberentur, facere ſolent.

I.

In prima ſtatim variolarum contemplatione ſe offert communis, & fere omnium, qui de his tractarunt, error; quo alias celebres in arte medica viri, variolas, & morbillos promiſcue, & quaſi una fidelia dilucidare, iisdemque eandem tum æthiologiam, quin imo, & curam, adſcribere ſolent, cum tamen, uti jam ſuperius de contagio probatum eſt, duo hi affectus ſpecie inter ſe differant, & diverſiſſimis ſymptomatibus ægros affligant. Experientia enim eſt cuilibet obvia, ordinaria naturæ lege a variolis variolas, & a morbillis morbillos, non autem a variolis morbillos, aut a morbillis variolas propagari.

II.

Hoc confirmat artificialis propagatio, quæ per inſitionem ſeu inoculationem variolarum inſtitui ſolet. Quin imo annis 1757. & 1758. Celeberrimus D. Doctor Home eadem hac arte morbillos feliciſſimo eventu in Anglia propagavit; neque unquam obſervatum eſt ab inoculatis variolis morbillos aut a morbillis variolas exortas fuiſſe.

III.

Sicut igitur plantarum ſemina a. b. c. eorumque ex illis ortas plantas ſpecie differre dicimus, quia ordinaria naturæ lege a ſemine a. plantam a. & a ſemine b. plantam b. produci, & propagari videmus; ita pariter ex eodem fundamento ſemina variolarum, & morbillorum ſpecie inter ſe differre aſſerere debebimus; ſecus enim omnia ſemina plantarum una cum ſuis plantis ejuſdem ſpeciei contra omnium opinionem dicenda erunt.

IV.

IV.

Quare judico, variolas seorsim, & separatim a morbillis tractandas & definiendas esse, pace omnium aliter sentientium. Antequam autem ad differentias, descriptionem, & æthiologiam variolarum accedamus, dilucidanda, & enodanda venit celebris alias inter medicos quæstio: num videlicet variolæ semper, & omni ævo genus humanum afflixerint? aut quo tempore, saltem in Europa vigere ceperint? Alii vero hanc quæstionem proponunt: An variolæ veteribus notæ fuerint, nec ne?

V.

Fateor, quamvis hæc quæstio exigui, aut nullius, sive in re medica, sive in republica videatur esse commodi, acerrime tamen celebres inter medicos ad hæc usque tempora decertatum fuisse. Ego ne crambem toties jam coctam recoquere videar, in his diu non mora-

bor, ſed Benevolum Lectorem ad lectionem eorum autorum, qui data opera, perquam erudite de hac quæſtione tractarunt, remittam. Inter multos alios præeminet elegantiſſimus Tractatus: *De variolarum novitate*, celeberrimi, & eruditiſſimi viri D. de Werlhoff contra doctiſſimum pariter virum Gothofredum Hannium; qui veterum monumenta ſummo labore conquiſivit, & collegit; unde variolas a veteribus delineatas, & deſcriptas eſſe probat; alter vero pro ſua, quæ in omnibus eſt ipſi communis modeſtia, & eruditione, oſtendit variolas eſſe morbum novum, & veteribus ignotum. Hic invenies B. L. in utramque partem, quam profundiſſime & eruditiſſime decertatum eſſe, ut vix aliquid ſupereſſe rear, quod ſuperaddi poſſit.

VI.

Interim, ut quam breviſſime fieri poſſit hac de quæſtione me expediam; ju-

judico, cuilibet jam constare, quod juxta data principia de contagio, hæc quæstio facile a nobis solvi, & determinari possit. Nam suppostui, quod sicut semina omnium vegetabilium, ita etiam semina verminosa omnium morborum contagiosorum in principio creationis jam producta fuerint, adeoque in rerum natura nulla alia de novo producantur, sed tantum evolvantur, & ultro propagentur.

VII.

Unde ex his principiis sequentia deducimus.

Primo; quod semina variolarum semper & omni tempore in rerum natura extiterint.

Secundo; quod semina valde diu inertia latere possint; quin imo

Tertio, a summo Creatore ipsis seminibus inditas esse certas pro eorum evolutione leges, ut aliqua citius, alia tardius evolvantur.

Omnia hæc allata fundantur in obſervationibus, de quibus vix aliquod dubium moveri poſſet, nam experientia conſtat, ſemina luis venereæ, podagræ, aliorumque hæreditariorum morborum in ſeris primo nepotibus ſoboleſcere, item periti agricolæ norunt, eadem ſemina & eidem ſolo ſæpius commiſſa in ſui multiplicatione, & fructificatione tandem valde deficere, ſive hoc fiat, quod per repetitas evolutiones tandem exhauriantur; ſive, quod eidem terræ ita aſueſcant, ut non amplius afficiantur; uti hoc videmus in noſtris corporibus; quamvis enim cum aëre eſculentis, & potulentis quotidie vix non infinita muſcarum, aliorumque inſectorum ovula deglutiamus, tamen illis ita aſſueſcimus, ut non afficiamur.

VIII.

Quapropter ex jam allatis rationibus fit, ut lepra, elephantiaſis, mentagra alii-

aliique, qui quondam communiſſimi, & diriſſimi erant morbi, nunc ferme deficiant; aſt fieri poteſt, ut tardius eorum ſemina præſtabilitam adipiſcantur maturitatem, ſicque frequentiore evolutione, ac majore ſævitie ſe manifeſtent.

Sed hoc ipſum nunc videmus in lue venerea; notum eſt quanta ſævitie, quanta ſtrage in ſui initio ſe manifeſtarit, nam quam citiſſime omnia pervadebat, & corrumpebat membra, nunc vero genitalium ſede contenta per gonorrhæam, ſæpe abſque omni remedio feliciter ſuum abſolvit decurſum. Sed de his plura legi poſſunt in tractatu de contagio.

IX.

Unde ex his inferre poſſumus, quod tempore Hippocrat. ante & poſt illum non tantum ſemina variolarum jam extiterint, ſed quod etiam variolæ genus humanum afflixerint, verum non tam frequentes, uti hoc tempore.

Qua-

Quare mirum non eſt, ſi in veterum monumentis inveniantur quædam variolarum veſtigia, quæ modernis reſpondent variolis. Præterea contingere potuit, ut tempore Hippocratis, Celſi, & Galeni; item in illis provinciis, quas ipſi inhabitabant, aut forte univerſim, nec in Aſia, nec in Europa, tunc variolæ graſſatæ fuerint, quæ tamen in Africa, America, aliisque tunc incognitis inſulis, eandem, quam nunc apud nos ſtragem agerent. Sic Ioann. Helwig narrat, quod ante Batavorum in inſulas orientales, & occidentales adventum variolæ, & morbilli incogniti ibidem fuerint; qui tamen ibi nunc tam frequentes, & tam maligni exiſtunt.

X.

Aſt primam accuratam & adæquatam variolarum deſcriptionem ſeculo duodecimo Medicis Arabibus debemus; quos nos uti & alios recentiores ſequemur.

An-

Antequam vero variolarum definitionem ſeu deſcriptionem adducamus, præmittendæ erunt variolarum differentiæ, & diviſiones; ex quibus dein earum natura facilius exponi poterit.

CAPUT II.

De diviſione, differentiis, & deſcriptione variolarum.

XI.

Ad variolarum diagnoſim, prognoſim, & curam multum intereſt ſcire earum differentias, & diviſiones, quare variolæ primo dividuntur in veras, ſeu legitimas, & nothas, ſeu ſpurias; iſtæ ſunt veſiculæ plus minus latæ, humorem ſeroſum, aut aqueum majore aut minore quantitate continentes, derepente plerumque invadentes, & erumpentes; bidui

aut tridui collabeſcentes, & flacceſcentes, & ſine periculo affligentes.

XII.

Variolæ autem veræ, de quibus hic potiſſimum agemus, in ſuppurationem tendunt, & plus temporis donec acmin attingant, requirunt, nam rariſſime primo, quandoque ſecundo, plerumque tamen tertio aut quarto die erumpere ſolent, ſeptimo, octavo, aut nono die, aliquando tardius, ut in malignis, & confluentibus, ſuppurantur.

XIII.

Variolæ veræ dividuntur ultro in diſcretas ſeu diſtinctas, & confluentes; item intermedias, quæ cohærentes audiunt.

Diſtinctæ dicuntur, quæ papulas ab invicem ſejunctas habent; quando vero plures papulæ quaſi in unam conveniunt, tunc confluentes vocantur. Iſtæ ſolent eryſipelatis, aut morbillorum ritu

tu erumpere, & colore rubro adinſtar ſcarlatinæ faciem notare. Cohærentes ſunt mediæ inter diſcretas, & confluentes, quando nimirum ſe quoad aliqua tantum ſuæ molis puncta tangunt.

XIV.

Item dividuntur in regulares & irregulares, ſeu anomalas, illæ ſunt, quæ eadem vix non ſemper exhibent phænomena, & pari ſymptomatum agmine, atque potiſſimum tempore verno ægros adoriri conſueverunt; quare diſtinctæ quarta ab invaſione die erumpere incipiunt, & ulteriorem morbi decurſum mitiorum ſymptomatum agmine abſolvunt, qua ex ratione benignæ audiunt.

XV.

Si vero prædictas notas non præſeferrunt variolæ irregulares, & anomalæ vocantur, quæ, ſi diſcretæ ſunt, tertia die jam erumpere incipiunt, plerumque valde parvas, puſtulas, fuſcas, aut ni-

gras

gras referunt, quin imo ſæpe ptyaliſmus, qui confluentibus quaſi proprius eſt, illas concomitari ſolet, adeoque majore cum periculo ſua ſtadia decurrunt, unde etiam malignæ dici poſſunt.

XVI.

Variolæ confluentes irregulares diſtinguuntur a confluentibus regularibus in eo, quod tempus eruptionis magis antevertant, adeoque jam ſecunda die erumpere ſoleant. Hæc eruptio fit ſpecie tumoris plus minus rubri vultum omnem contegentis abſque notabili papularum diſcrimine; adeſt præterea ſtatim ſub initium morbi major virium exſolutio, & variolarum major in gangrænam propenſio.

XVII.

Dantur etiam aliæ variolarum, ſed minoris momenti differentiæ, ſic Clariſſimus Diemerbrœck, alias dicit eſſe rubicundas, alias lividas, violaceas; item

item alias molles, alias duras; depresſas, elevatas, albicantes, ſplendentes, alias latas, & alias contractas.

XVIII.

Quin imo ipſæ variolæ nothæ ſeu ſpuriæ videntur notabilem differentiam præſeferre; nam aliæ ſunt chriſtallinæ, & lymphaticæ, plus humoris ſeroſi & lymphatici continentes, unde etiam vulgo die Waßerblattern audiunt; aliæ vero ſunt duriores, nodoſæ, verucoſæ, tuberculoſæ, & vix aliquid humoris continentes & ideo etiam die Steinblattern vocari ſolent. Quamvis Clariſſimus Mead, & Freind variolas verucoſas & Chryſtallinas ad malignas potius reducant; ego tales ſæpe vidi; ſed ſemper ſine febre & periculo; adeoque inter ſpurias potius reputandas cenſeo.

XIX.

Præſuppoſitis diviſionibus & differentiis variolarum facilius poterit concipi il-

larum defcriptio, quæ alias definitio vocatur.

Antequam variolarum defcriptionem proferamus, infinuandum eft, raro eas exacte, & adæquate definiri, quia fub tali defcriptione non comprehenduntur variolæ tam veræ, quam nothæ; item quia fæpe talia fymptomata pro effentia variolarum adduci folent, quæ in variolis adeffe, aut abeffe poffunt, ut dein patebit.

XX.

Variolæ igitur defcribi poffunt, quod fint morbus exantematicus contagiofus, (I.) plerumque epidemicus (II.) & paffim cum febre conjunctus (III.) omnem ætatem, fed præcipue infantes invadere folitus. Si veræ funt variolæ in fuppurationem, fecus, fi nothæ funt, tendens (IV.) diverfisque aliis, pro diverfitate ftatus morbi ftipatus fymptomatibus. (V.)

XXI.

Ratio vero dictorum, uti & ulterior eorum expositio sequens esse poterit: dixi enim (I.) variolas esse morbum exantematicum, & contagiosum, & (II.) plerumque epidemicum. Variolas esse contagiosas omnes norunt, sed illas non esse semper epidemicas pariter admittent, si perpenderint eas facile per fomitem ab uno loco ad aliam regionem, ubi epidemice non grassantur, ibique saltem per insitionem, aut inoculationem communicari, & propagari posse; sic Eruditissimus Willis multos adducit casus de variolis sine epidemia affligentibus.

XXII.

(III.) Variolas esse febrem exanthematicam, adeoque febrem esse de essentia variolarum, plerique autumant. Verum rationes, quibus moveor, febrem non esse de essentia variolarum sunt sequentes:

Primo in variolis ſpuriis ſæpe nec febris, nec ullum aliud ſymptoma quod incommodo eſſe poſſit, obſervatur.

Secundo in variolis, & præcipue benignis, ſæpe nulla obſervatur febris; quia tales infantes ab initio uſque ad finem morbi omnes functiones, ut alias ſani peragunt; ſunt enim hilares, circum ambulantes, ludentes, bene appetentes placide dormientes, verbo: nulla alicujus incommodi ſigna præſeferre videntur, qui talia non credit, ruri præcipue talia obſervare poterit.

XXIII.

Sed quamvis admitterem tempore eruptionis & ſuppurationis adeſſe febrem; interim omnes practici norunt, quod in variolis diſcretis & benignis, facta plenaria eruptione, febris plerumque per unam, alteramve diem ſileat, donec febris ſuppuratoria accedat; quod patet ex eo, quia infantes vix exacta eru-

ptio-

ptione hilares, esurientes & bene dormientes evadunt, quod fieri non posset, si febris adesset. Sicut igitur calor de essentia febris dici non potest, quia aliquando abesse potest, ex eadem etiam ratione febris de essentia variolarum non erit, cum pariter a variolis separari possit.

XXIV.

Verum doleo, quod tantum de febre disputare debeamus, cum necdum evidenter constet, quid, & in quo proprie calor, & febris consistat. Quamvis enim hoc tempore fere omnes, ab aucto attritu, & exinde orto pulsu frequentiore, & celeriore naturam, & essentiam, febris & caloris derivent, supersunt tamen quam plurimæ difficultates, quæ hanc communem opinionem labefactant, tales difficultates nuper nobis publici juris fecit Eruditissimus & Magnificentissimus Dominus de Haen: in

parte altera rationis medendi pag. CLXIV. V. VI. & alibi. Verum ne hæc, quamvis laude & veneratione digna, novissima esse videantur, talia legi possunt in operibus jam 1748. a Medico Vindobonensi typis datis cap. V. de venæ sectione pag. CXXVII. quibus titulus est: *Animadversiones in libellum cui titulus: Androphilus Asclepiadeus &c.* verum manum de tabula, hæc hujus loci & nostri scopi non sunt, quare ad (IV.)

Properamus; per hoc enim, quod variolæ veræ suppurentur, distinguuntur a spuriis, quæ sæpe inopinato erumpunt, & bidui aut tridui flaccescentes exsiccantur, uti in differentiis variolarum, ab aliis efflorescentiis clarius patet.

XXV.

Tandem (V.) diximus variolas pro diversitate status, & stadii earum diversis stipatas esse symptomatis.

Cla-

Clariss. Sydenham assignat duo tantum variolarum tempora, nimirum unum separationis, & alterum expulsionis; ast judico commodius quatuor in variolis terminos seu epochas constituendas esse; primus terminus est præparationis, seu separationis, secundus expulsionis, tertius suppurationis, & ultimus exsiccationis. Primus seu præparationis terminus in variolis discretis, & benignis intra triduum aut quatriduum absolvitur; in malignis vero, aut confluentibus citius; secundus intra triduum circiter; tertius diversa habet tempora; nam in discretis & benignis, citius, in malignis autem & confluentibus tardius & lentius absolvitur suppuratio, & ad decimam septimam quin imo etiam ad vigesimam primam diem protrahitur. Idem dicendum est de earundem exsiccatione. Ut vero tota historia, & progressus variolarum eo facilius intelligatur,

initium ducam a diſcretis, & regularibus, ſicque ab his fiet tranſitus ad confluentes & anomalas.

XXVI.

Diverſa ſunt ſymptomata pro diverſitate genii variolarum, quæ earum eruptionem præcedere ſolent; ſpecialiter vero affligit capitis, lumborum, & ſpinæ dorſi dolor; laſſitudo, viriumque languor, præcordiorum anxietates, inquietudines, reſpiratio laborioſa & ſuſpirioſa; ſopor, ſomnus tamen inquietus, interruptus; quibus præcipue autem juvenibus jungitur delirium; item adeſt ciborum faſtidium, nauſea, quandoque etiam vomitus maximam partem bilioſus; in infantibus autem plerumque diarrhæa, pavores in ſomno, & ſubſultus tendinum; in adultis vero adeſt incoercibilis in ſudores propenſio. Præterea horripillationes intercurrere conſueverunt, calor corporis aliquando major, ali-

aliquando minor; idem dicendum eſt de ſiti; pulſus eſt plerumque ſolito celerior; infantes ſæpe inopinate convelluntur, quibus paulo poſt variolarum eruptio ſuccedit.

XXVII.

Hic tacitus præterire non poſſum quædam anomala, & minus vulgaria ſymptomata, quæ variolas quandoque diu præcedere ſolent. Ego aliquando obſervavi, quod octo, & pluribus diebus certi dolores rheumatici aliquando unam, aliquando alteram partem corporis occupare, quandoque cum, quandoque ſine febre affligere ſoleant; ſicque aliquando colicam, quandoque pleuritidem, aut rheumaticum artuum dolorem æmulentur; quales caſus hac de re a me obſervati dein ſpecifice adducentur.

XXVIII.

Dixi, quod pro diverſo variolarum genio, prout nimirum diſcretæ, aut con-

fluentes; benignæ aut malignæ fuerint, & jam diverso efflorescant tempore; malignæ enim & confluentes longe citius; discretæ vero & benignæ plerumque quarta die erumpere solent; & quidem primo in facie & collo papulæ quædam rubræ se manifestant, quæ pededentim numero plures efflorescunt; dein pectus, brachia, abdomen, dorsum cum femoribus, pedibusque occupant; quo tempore fiunt frequentes sternutationes, difficultasque nunc major, nunc minor in deglutitione persentitur; quia variolæ tam nares, quam fauces occupant; quin imo sæpe fit, ut totus tractus arteriæ asperæ, esophagi, quin imo pulmones, ventriculus, intestina, aliaque viscera iisdem obsideantur.

Protrahitur variolarum eruptio ad duos tresve dies, quo tempore omnia superius recensita symptomata aut remittunt, aut plane evanescunt.

XXIX.

XXIX.

Tandem circa diem ſextum eodem tenore & ordine ut eruperant variolæ, incipiunt ſuppurari; adeoque puſtulæ, quæ in ſui exordio rubebant ſucceſſive albeſcere incipiunt, magis latæ, & acuminatæ fiunt cum circulo rubente, item variolarum interſtitia rubent, tument, tenduntur; & dolent; iſte tumor præprimis faciem occupat, ſic palpebræ ſæpe ita turgent, & connivent, ut veſicam aqua plenam repræſentent, & ægrum uno alterove die luce privent.

Interea dum iſta fiunt febris, ſitis, inquietudines, deglutitio difficilis, vox rauca, & reliqua intenduntur nunc magis nunc minus pro diverſa ratione variolarum.

XXX.

Die circiter ab invaſione nono puſtulæ, quæ albæ & leves erant ad tactum, fiunt aſperæ, fuſcæ, & flavæ, ſic-

ſicque mox dein & ferme eodem ordine, ut eruperant, & ſuppurabantur, rumpuntur, & exſiccantur, & uſque ad 14. circiter diem, illæ, quæ faciem, collum occupabant, abſcedere, & decidere ſolent; relictis ſquamulis furfuraceis ſucceſſive pariter decidentibus.

XXXI.

Interim, dum hæc die octavo, & nono, & ſequentibus in facie fiunt, & ad declinationem morbi vergunt, manus vero & pedes ſummum tumoris gradum aſſequuntur, rubent, tenduntur, & dolent bidui aut tridui longius, quam facies; variolæ pariter diutius albæ, plenæ, & tenſæ perſeverant; quæ dein decima tertia aut decima quarta die flacceſcunt, & humorem ſed non ita ſpiſſum, ut illæ, quæ faciem occupant, verum liquidiorem fundunt; ſicque exſiccantur & decidunt, ut ſuperius dictum eſt.

XXXII.

XXXII.

Dum tumor faciei, reliquarumque partium augmentum capit, urina pauca & ſaturata redditur; dum vero tumor decreſcit, ſuccedunt urinæ crudæ, aqueæ, valde copioſæ; quibus diverſa filamenta, & quaſi ſquamularum ramenta innatare videntur; quin imo præſertim ultimis reſipiſcentiæ diebus, ſedimentum album nunc majore nunc minore quantitate in urinis obſervatur.

XXXIII.

Ex data deſcriptione variolarum, quæ maximam partem diſcretas, & regulares attingit, variolæ confluentes, & anomalæ facilius concipi poterunt; etenim ſymptomata, quæ expulſionem variolarum confluentium præcedere ſolent, ſunt ferme diſcretis communia, ſed longe atrociora & ferociora; nam hic adeſt major virium proſtratio, major anxietas, materiæ biliofæ vomitus, major ſo-

poro-

porositas & major febris; ex quibus variolas, aut confluxuras, aut anomalas, & mali moris futuras expertus medicus prædicere poterit.

XXXIV.

Diximus in discretis benignis facta eruptione febrem mitigari, aut plane sopiri; in confluentibus vero peracta eruptione febris adhuc superest, item salivatio adultos, diarrhæa vero infantes affligere solent; nam salivatio aliquando una cum variolarum eruptione aliquando postridie supervenit; a principio materia sat tenuis procedit, quæ vero circa undecimum morbi diem tam tenax & spissa fit, ut nisi manus & pedes tunc debito modo tumeant, æger in summo vitæ periculo versetur.

XXXV.

Variolæ confluentes, quæ faciem occupant, sunt multo minoris voluminis, quam in discreto genere esse soleant; illæ ve-

vero quæ manus & pedes obſident, habent mollem majorem illis, quæ in facie ſunt. Hoç præterea obſervamus, quod ſtatim ſub eruptionis initium facies ex confluentibus tumida evadat, qualis etiam diutius quam in diſcretis permanet.

XXXVI.

Variolæ autem anomalæ hoc habent primo ſingulare; quod quamvis fuerint diſcretæ diem quartum, alias diſcretis regularibus pro expulſione communem, antevertant; adeoque prout plus, aut minus malignæ ſunt indolis, ſecundo, aut tertio die erumpant.

Secundo, omnia ſymptomata ferme ut in confluentibus dictum eſt, ſunt graviora. Tertio puſtulæ ſunt minoris voluminis, non ita elevatæ, ſed magis depreſſæ, quam illæ, quæ in regularibus & diſcretis eſſe ſolent.

Quarto, quamvis variolæ diſcretæ videantur, ſi tamen malignæ ſunt, jungi-

gitur his in adultis ptyalifmus, ac fi confluentes effent.

Tandem variolæ anomalæ folent multis puftulis nigris ad corruptionem & gangrænam magis difpofitis, interfperfæ effe; unde magnam malignitatem illis ineffe judicare poffumus, propter quam etiam fit ut talibus variolis anomalis facile alia exanthemata ut milliaria jungantur.

XXXVII.

Solertiffimus Sydenhamius judicat variolas tempore verno graffantes effe difcretas, & benignas; illas vero, quæ hibernum tempus obtinent, effe ut plurimum malignas. Verum multæ obfervationes a me hic Viennæ captæ aliter nos docent, nam recentiffima epidemia, qua Vindobonæ variolæ graffabantur, nobis oftendit tempore hiemali variolas difcretas, & benignas fæpe graffari.

XXXVIII.

XXXVIII.

Hæc epidemia ſtatim poſt ſolſtitium æſtivum initium ſumpſit, & hinc inde ſe manifeſtavit; aſt menſibus Novembri, & Decembri 1759. item 1760. Januario, & Februario quam plurimos & infantes, & adultos agrediebantur variolæ, circa æquinoctium vernum jam deferveſcere videbantur, ita ut ſequentibus menſibus vix earum veſtigia ſupereſſent.

Eodem tempore nunciabatur variolæ graſſatæ fuiſſe in multis aliis regionibus, ſed potiſſimum in Dania; erant autem ibidem ita malignæ, ut quam plurimi exinde denati eſſent. Apud nos autem contrarium evenit; etenim erant tam benignæ, ut ſi debita methodo tractatæ fuiſſent, vix aliquis ægrotorum exinde deſideratus fuiſſet; quod confirmatum legi poteſt in elegantiſſimo tractatu de miliaribus & petechiis Magnifi-

centiſſimi, & Eruditiſſimi Domini Ant. de Haen Vindobonæ editi 1760. Ego ipſe, ut absque jactantia efferam, habui quamplurimos, tam intra, quam extra urbem in celeberrima Academia Sabaudica tractandos ſimiles ægros, & quamvis multi eorum viginti & ultra annos nati fuiſſent, tamen favente Numine omnes integræ & perfectæ ſanitati reſtituti fuere.

XXXIX.

Similes benignarum variolarum epidemiæ, quæ tempore hiemali hic loci obſervabantur, erant plures, ut annis 1749. & 1750. 1757. & 1758. & recenter 1759. & 1760. Cum hujates benignarum variolarum epidemias retulerim, neceſſe eſt, ut etiam illarum, quæ malignæ & anomalæ erant indolis, quam breuiſſime meminerim.

XL.

A triginta fere annis quibus praxi medicæ addictus ſum, duas, ut alias præteream, malignas & memorabiles obſervavi variolarum epidemias. Prima fuit anno 1742. in hac erat ſtatim ab initio morbi ſumma virium proſtratio, ingens febris, ſumma anxietas, & ſoporoſitas. variolæ erumpere ſolebant ad finem diei ſecundæ, aut a principio diei tertiæ, erant fere apud omnes diſcretæ, ſed parvæ, non elevatæ, ſed depreſſæ; aliquæ earum erant lividæ aut nigræ. Verum hoc præ omnibus aliis notandum eſt, quod die nona, aut undecima, aliquando tardius, ubi omnia jam ad vota Medici, & ægri procedere videbantur, mox æger fieret inquietus, anxioſus, ſiticuloſus, febris augeretur, micturitio affligeret; urinæ enim ſæpe, copioſæ, & limpidiſſimæ excernebantur; dum hæc aderant ſymptomata expertus medicus

potuit pro certo prædicere miliaria alba paulo poſt, aut poſtridie in conſpectum ventura; qualis eventus dein medici prognoſtico magnam fidem conciliavit.

XLI.

Dum prædicta miliaria ex centro ad peripheriam corporis propulſa fuiſſent, præſertim ſi ſat copioſa iſta eſſet eruptio, ut plurimum æger melius habebat, & omnia prædicta ſymptomata remittebant, ſicque ſi nulla alia exacerbatio huic ſimilis ſuccederet, æger brevi perfectæ, & integræ reſtituebatur ſanitati.

XLII.

Verum tamen ſæpe evenit, ut poſt unam, alteramve a prima exacerbatione diem, ubi æger reſpicere videbatur, iterato inquietus anxioſus, magis febricitans fieret, ut ſuperius diximus; cui exacerbationi diverſi recentium miliarium, aut albarum, aut rubrarum, aut utriuſ-

utriusque ſimul hinc inde in corpore apparebant manipuli. Iſta alternatio, & exacerbatio ſolebat ſæpius repetere; & ægrum magis ſemper & magis viribus exhaurire; ſicque niſi o pportunis remediis obviam itum fuiſſet, e medio tollere.

XLIII.

Ejusdem plane indolis obſervationem hic tacitus præterire non poſſum, quin meminerim, idem ſæpe contingere in omnibus morbis acutis, ut febribus continuis, ardentibus, malignis inflammatoriis, ut potiſſimum in pleuritide & peripneumonia. Si enim materia phlogiſtica in pleura & pulmonibus reſtagnans; nec diſcutiatur, nec per copioſum ſputum evacuetur, tunc ſemper magis & magis corrumpitur, & ad Maſſam ſanguineam reſorbetur; ibidem majorem febrem, majorem in ægro inquietudinem, majoremque anxietatem excitat; ad pe-

 riphe-

ripheriam corporis propellitur, ſicque exanthemata miliaria propululant.

XLIV.

Si iſta materia corrupta magna ſui parte pulmones ab onere liberet, & ad ſanguinem reſorbeatur, ſicque ad peripheriam pellatur; ſi hoc fiat die critico; tunc contingit magno cum levamine; quales caſus aliquot ipſemet vidi, & quamvis ſint rari, tamen omnes practici ſimiles norunt; talis enim motus naturæ criticus dici debet; quia fit materiæ peccantis coctæ a partibus nobilioribus ad minus nobiles depoſitio.

XLV.

Sæpius autem evenire ſolet, ut materia peccante exiſtente adhuc cruda, vel dum materia phlogiſtica in abſceſſum degenerat, exanthemata miliaria ſupervenire ſoleant; quia materia corrupta purulenta maſſæ ſanguineæ mixta ad circumferentiam corporis propellitur: verum

rum hoc non fit cum euphoria, & levamine; quia cum fomes materiæ purulentæ generandæ in corpore lateat, non poteſt fieri aliqua critica evacuatio donec iſte fomes expurgetur, abſtergatur, & conſolidetur.

XLVI.

Sic in variolis ſæpe vix non idem contingere obſervamus; nimirum die nona, aut undecima materia varioloſa purulenta ad ſanguinem reſorbetur; ibidem excitat majorem febrem, inquietudinem, anxietatem, ex quo fit, ut dein hæc ipſa materia purulenta ſub ſpecie exanthematum miliarium ad peripheriam deponatur; quod ſi plenarie & ſecundum potiorem ejus partem contingat, fit critice, & cum levamine; ſi vero hujus materiæ purulentæ minor aliqua portio ad circumferentiam corporis propellatur, manente majore ejus portione mixta cum ſanguine, aut ſi in aliqua interna

corporis parte ex variolis fiat abſceſſus, quod ſæpe contingere dein dicemus; tunc materia purulenta exinde ſeparata, cum ſanguine mixta, & ad peripheriam protruſa non alleviat morbum, nec ægrum, non ſuccedit critice, ſed ſymptomatice; quia princeps horum exanthematum fomes adhuc in corpore ſupereſt, eandem materiam peccantem ad excitandos ulteriores motus febriles in poſterum exhibiturus.

Tales motus ſymptomaticos ſæpe obſervavimus in variolarum epidemia, quæ anno 1742. graſſabatur.

XLVII.

Verum atrocioris, & funeſtioris variolarum epidemiæ vix memini, quam fuerit illa, quæ annis 1745. & 1746. hic Vindobonæ graſſabatur; & hæc eſt ratio, quæ me movet, ut paululum diſtinctius illam exponam, & declarem.

Ad finem Auguſti, & initium Septembris 1745. variolæ hinc inde in hac me-

metropoli ſe manifeſtabant, ut plurimum diſcretæ, & utcunque benignæ; verum mox larvam deponebant, menſibus præcipue Novemb. Decembris 1745, & Januar. Februar. 1746. perquam malignæ factæ quam plurimos tam infantes, quam etiam ætate provectiores, præſertim ex hujatibus perquam illuſtribus familiis vita privabant, ſed Martio & Aprili mitiores, & rariores factæ tandem evanuerant.

XLVIII.

Harum variolarum inſultus & progreſſus ſequens erat: ægri per intervalla horrebant, biliofa vomebant, comatoſi jacebant; ſumma anxietas, & virium proſtratio illos occupabat. Aliquando ſecunda, aliquando tertia ab inſultu die variolæ in conſpectum veniebant, erant ut plurimum diſcretæ. Sed peracta expulſione prædicta ſymptomata non mitigabantur, ut alias fieri ſolet; quin imo ſæ-

pe augebantur; nam & inquietudines, insomnia, deliria, item sæpe convulsiones, quamvis prius non adfuissent, præterea micturitio, diarrhæa in infantibus; ptyalismus vero in adultis die quinta aut sexta prioribus jungebantur; quibus die sequente miliaria ferme semper alba, tam certo supervenere, ut ex præsentia dictorum symptomatum miliarium prognosim ferme infallibilem medicus expertus instituere potuerit.

XLIX.

Diarrhæa, quæ hic aderat, non solebat tantum negotii, & discriminis facessere quantum ipsa micturitio, quæ fere diabetica dici poterat; nam nicthemeri spatio ad libras XII. aut XVI. aliquando etiam ultra, urinæ limpidissimæ secesserant. Istud urinæ profluvium in aliquibus ægris totum morbi decursum concomitabatur; quapropter necessario quidam anomali effectus exinde resultabant,

bant, nimirum variolæ non erant elevatæ & turgidæ, ſed depreſſæ, flaccidæ, multæ lividæ, aut nigræ tempore ſuppurationis manebant; item nec facies, nec variolarum interſtitia ſolitum adipiſcebantur tumorem & ruborem.

L.

Hoc præterea ſingulare in hac epidemia fuit, quod diarrhæa non tantum infantes, ſed multos alios triginta & plures annos natos, affligeret; quæ ſi aderat, ptyaliſmi vix aliqua aderant veſtigia.

LI.

Dum prædicta miliaria ſexto, aut ſeptimo, ut dixi, die expulſa fuiſſent, videbatur æger melius ſe habere, nam prædicta ſymptomata, nimirum anxietates, deliria aut convulſiones remittebant, quæ non miteſcebant, dum variolarum eruptio facta fuiſſet.

LII.

LII.

Si æger in hoc reſipiſcentiæ ſtatu absque nova exacerbatione permanebat, tunc plerumque decima quarta morbi die, aliquando vero primo decima ſeptima judicabatur; ſed ſimiles caſus oppido rari erant. Verum frequentius eveniebat; ut octava aut nona morbi die prædicta micturitio, febris, anxietates, inquietudines, aliquando deliria repeterent, & reviviſcerent; quæ mox nova, ſive alborum, ſive rubrorum miliarium eruptio ſequebatur; ſicque iſta exacerbatio, & alternatio aliquoties repetere ſolebat; æger interim exinde magis ſemper & magis fatiſcebat; & niſi opportunis, & appropriatis remediis temporius occurreretur, ad plures migrabat; quod vigeſima prima morbi, aliquando tardius, contingebat, quin imo habui duos tresve caſus ægrotorum; in quibus non tantum prædicta ſymptomata, ſed

præterea diverfarum corporis partium ferpentia, & gangrænofa ulcera aderant, quæ exhaufto, & exefo fere toto corpore quadragefimo circiter primo die finem vitæ imponebant.

LIII.

Verum dicet aliquis, iftam variolarum malignitatem regimini calido, quo variolæ tractari folent, potius adfcribendam effe, quam alicui malignæ epidemiæ. Aft quamvis inficias ire non valeam in uno, alterove fubjecto aliquando variolas indole fua benignas per perverfam methodum malignas reddi poffe, quales cafus fæpe vidi; tamen univerfaliter hoc dici non poteft; quia alias ratio reddi non poffet, quare uno anno benignæ, alio vero maximam partem malignæ graffentur; cum univerfalis eas tractandi methodus, regimenque fere femper idem fit. Accedit, quod methodus regimine calido variolantes tractandi apud noftra-

tes

tes medicos jam dudum exoleverit, quod jam ſuo tempore agnovit, & improbavit celeberrimus quondam hic Vindobonæ practicus Sorbait in ſuo tractatu de variolis Cap. XVII. Tractatu III. item Cap. XIII. Tractatu VII.

Ex his, quæ ſuperius dicta ſunt de differentiis, & deſcriptione variolarum, eruitur facile earum diagnoſis, & differentiæ ab omnibus aliis exanthematibus; nam per hoc, quod variolæ ſint papulæ elevatæ, & prominenres, & quod in ſuppurationem tranſeant, diſtinguuntur a morbillis, petechiis, ſcarlatina, purpura aliisque exanthematibus.



CAPUT III.

De Variolarum Æthiologia.

LIV.

Plures & diverſas habemus de origine, natura, & cauſis variolarum opiniones; inter quas princeps & prima fuit Arabum Medicorum.

Quemadmodum enim illi primi fuere, quia accuratam variolarum deſcriptionem nobis exhibuerunt; ita fere unanimiter variolas a ſanguine materno derivabant, & deducebant.

LV.

Aſſertum hoc ſequentibus firmabant rationibus: credebant enim; primo, quod ſanguis menſtruus ſit humor corruptus, & quaſi venenoſus.

Secundo obſervabant, uti etiam nunc videre eſt, quod uterum gerentes plerumque menſtruo illo fluxu priventur; adeoque exinde inferebant, quod cum

fœ-

fœtus in utero matris nutriatur, prædicto ſanguine menſtruo, eidem neceſſario inferatur talis labes, ejusque humores ita conſpurcari debeant, ut non niſi per ſupervenientes variolas depurari & defecari poſſint.

Quamvis vero aliqui, ut Avenzoar dicant, fœtum in utero matris ſanguine puro nutriri, admittunt tamen variolas ab utero matris derivandas eſſe. Sic Clariſſ. Willis ipſe hoc fermentum varioloſum ab utero deducit, & in medulla ſpinali tamdiu iners hoſpitari ait, donec in actum deducatur.

LVI.

Verum hoc tempore per demonſtrationes conſtat, ſanguinem menſtruum eſſe ejusdem indolis cum alio, qui in vaſis circulat, adeoque non eſſe corruptum, aut venenoſum.

Secundo certum eſt, multa alia animalia bruta habere ſua menſtrua abſque eo, quod corripiantur variolis. Ter-

Tertio, multi ſeneſcunt, quin laborarint variolis.

Quarto, neque concipi aut demonſtrari poteſt, quare hæc materia varioloſa non ſtatim in actum deducatur, cum minima ejus portio ſive per contagium, ſive per inſitionem corpori communicetur, ſtatim variolas excitet.

Tandem cum ſtatus conceptionis, nutritionis & partus a principio mundi ſemper fuerit idem, ratio dari non poteſt, quare ſuperioribus ſeculis tam raræ fuerint variolæ, ut in antiquorum monumentis vix earum veſtigia inveniantur. Negligentiſſimi ſane dicendi eſſent veteres, qui alias minutias diverſorum minoris momenti morborum deſcripſerunt, hunc principem inter alios morbum præteriiſſent aut ſuperficialiter tantum tetigiſſent.

LVII.

Secunda atque recentior de origine, propagatione, & causis variolarum circumfertur opinio, quam Clarissimi Listerus, Mead aliique potissimum vero illi, qui variolas novum morbum esse credunt, adoptarunt. Isti variolarum originem, propagationem a morsu alicujus bestiolæ venenatæ deducunt, & derivant; quæ alicui hominum vulnus inflixerat illique tale variolosum venenum instillaverat, quod dein ultro aliis hominibus communicatum, nunc partim hæreditario titulo, partim per contagium ultro propagatur, & multiplicatur.

In confirmationem hujus opinionis adducunt, quam plurima bestiolarum venenatarum exempla, quarum morsus, ut illi opinantur, cum variolis congruere videntur.

LVIII.

Ast contra est primo: Præfati autores non possunt assignare locum, ubi pri-

primo talis morſus inflictus; nec poſſunt ſpecificare beſtiolam, a qua talis morſus factus fuiſſet, adeoque videntur talia ad libitum aſſerere & effingere.

Secundo: cum hoc tempore multi, & magni tractus terrarum, qui quondam nobis incogniti erant, pateant, deberet ſæpius talis morſus ſuccedere, de quo nobis certe conſtare deberet.

Tertio: deberemus pariter admittere, quod alii morbi contagioſi, ut morbilli, lues venerea, petechiæ a ſimilibus morſibus originem haberent, quod ipſi adverſarii non admittunt.

Tandem quarto: ex noſtris de contagio principiis deducitur princeps in contrarium ratio; demonſtravimus nimirum, quod venena ſive ex regno animali, minerali, ſive vegetabili deſumantur, non ſint contagioſa; adeoque quamvis prædictus beſtiolæ morſus reipſa demonſtrari poſſit, hoc tamen ſemper ve-

rum esset, quod non sit contagiosus; & ultro multiplicabilis, quemadmodum variolæ reipsa sunt.

LIX.

Sed dices: morsus canis rabidi est contagiosus, & ultro propagabilis, adeoque potest esse, quod alicubi detur talis bestiola, quæ prædita sit simili morsu varioloso & contagioso.

Respondeo, quamvis hoc argumentum prima fronte consideratum videatur habere aliquam vim; intimius vero trutinatum destruit funditus hanc ipsam sententiam; quia in tractatu de contagio ostendi similes morsus ut ursi, canis rabidi esse animalis ægri non sani, adeoque se habere eodem modo, ac si quisquam hominum febre maligna petechiali, variolosa aut morbillosa laborans alium hominem sanum morderet; in quo casu homo demorsus in eundem mordentis incideret morbum.

Talem funeſtum caſum expertus quondam fuit pie defunctus, mihique æterna memoria venerandus Perill. Dominus Weber de Fürnberg Celeberrimus quondam Medicus Vindobonenſis; qualem mihi, aliisque repetitis vicibus narrabat: Hic illuſtris vir quemadmodum in omnibus ſuis negotiis perquam induſtrium ſe exhibuit, ita vel maxime in illis, quæ artem medicam ſpectabant; in ſua juventute omnem in his proficiendi quærebat occaſionem, & oblatam lubens amplectebatur; unde factum eſt, ut creatus Neo-Doctor perquam ſedulus ægros præſertim in Noſocomio vulgo (das Becken-Haus) dicto inviſeret; morbos, eorumque ſymptomata ibidem examinaturus. Dum ſemel incideret in ægrotum febre maligna petechiali decumbentem, deſiderabat ſtatum linguæ in ægro explorare; in quo caſu incautus nimis profunde digitum in os ægri adegit,

ut ægrotus eundem ad cruentationem usque momorderit; unde dein brevi inhorruit, & eadem febre maligna correptus, tandem ad incitas redactus fuit, ut omnes tam Medici quam consanguinei conclamatum esse judicarint. Ast præter omnium opinionem resipiscere inceperat, ac tandem judicatus, altioribusque in posterum Reipublicæ muneribus fungendis servatus fuit.

LX.

Ut vero evidentius pateat, ab aliquo simili morsu contagium variolosum dependere non posse, considerare debemus, saltem quantum a posteriori nobis constat uniuscujusque proprietates, & naturam; sicque videbimus, quanto intervallo inter se distent. Experientia enim nos docet, contagium canis rabidi, aut cujuscunque alterius animalis, non nisi per immediatum contactum communicari posse; contagium variolosum vero non

tan-

tantum immediate, ſed & mediate per exhalationes, vapores multiplicabile eſſe omnes norunt; adeoque tale contagium a morſu alicujus beſtiolæ derivari nequit.

LXI.

Nihil dicam de capſulis atrabilariis, a quibus Sylviani variolas derivare conantur. Nihil de Candoræ pixide, e qua uti alios morbos ita & variolas quidam derivant. Nihil de ſalibus ſive acidis, ſive alcalinis; ad quos multi materiam varioloſam reducere ſatagunt; quia hæc omnia, aut in cerebri idæis ſedem habent, aut jam ſuperius in tractatu de contagio in genere, refutata ſunt.

LXII.

Majoris momenti, & altioris indaginis, quam omnes, quas hucuſque adduximus, eſt illa, de cauſis, & origine variolarum ſententia, quam nuperrime publici juris fecit, magno labore exorna-

vit Vir Eruditissimus, & Acutissimus Dominus Johan. Gothofredus de Haen Consiliarius Regius, Vir in Republica optime meritus. Hic profundissimo, quo pollet ingenio, judicat variolas nihil aliud esse, quam aliquam evolutionis speciem ultimorum arteriosorum vasorum, cutem perreptantium; adeoque variolas dicit esse prægnantes arteriarum gemmas, paritate a plantarum gemmis desumpta; quemadmodum enim istæ debito tempore evolvi, & efflorescere solent, idem intelligendum esse de illis asserit.

LXIII.

Princeps hujus asserti ratio exinde adducitur, quod tota animalium vita statis, & fere continuis evolutionibus absolvatur; quarum notabiliores sunt, quæ in dentitione, pilorum, barbæque incremento, vocis mutatione, mensium proventu, seminis exuberantia, aliisque innumerabilibus partium solidarum mutationibus observantur.

Quo-

Quorum plura apud præfatum autorem tam erudite quam ornate exposita, ut alium Celsum te legisse credas, videri possunt.

LXIV.

Si hanc de variolis sententiam cum omnibus aliis hypothesibus, quæ ad hæc usque tempora in publicum prodiere, confero, absque omni hæsitatione judico, hanc omnibus & singulis præferendam esse; etsi ex jam datis de contagio principiis alicui alteri hypothesi obstrictus non viderer, hanc ipsam præ omnibus aliis amplecterer. Neque enim ex illis, quæ contra hanc opinionem opponi possunt, ab assensu dimoveri paterer, quoniam his facilius, quam illis, quæ alias sententias premunt, satisfieri potest.

LXV.

Interea quemadmodum incomparabili hujus sententiæ Autori gratulor, ita

mihi gaudeo, quod in quibusdam, quæ naturam variolarum dilucidare possint, conveniamus, quamvis in multis disconveniamus; convenimus enim in eo, quod ambo in quadam evolutione variolas constituamus. Etenim evolutio, quam Clarissimus Autor in suo systemate assumit, est gemmarum, glomerumque in minimis arteriolis evolutio, & efflorescentia, nostra vero ut dein patebit, est seminii variolosi evolutio, & multiplicatio. Sed quid vetat dicere, has gemmas, quemadmodum in vegetabilibus ex Clarissimo Linnæo, aliisque Botanicis notum est, esse glomos, foliis, floribus, quin imo etiam propriis seminibus evolubilibus, & ultro multiplicabilibus fœtos; in quo casu inter hanc & meam mox adducendam sententiam major esset analogismus, & fere idem sensus; nisi quod hæc sententia in vasorum extremitatibus, ego vero in toto corpore talia seminia e-

vol-

volvi, efflorefcere, & multiplicari fupponam. Difficultates vero, quæ præter illas, quas Clariff. Autor ipfe fibi opponit, hanc fententiam premunt, funt fequentes.

LXVI.

Primo: concipi non poteft, quo modo minima portio materiæ variolofæ; five illa per infitionem, five per contagium communicetur corpori; poffit prædictas arteriolarum gemmas, ut floreant, in actum deducere, nifi dicatur, quod talis materiæ variolofæ portio primo excitet motus febriles, & mediantibus his motibus fiat tandem prædicta evolutio.

LXVII.

Verum exinde neceffario, fequeretur, quod quilibet motus febrilis idem facere deberet, quod eft contra experientiam; nam fæpiffime videmus homines febribus continuis, ardentibus, malignis,

in-

inflamatoriis affligi, absque eo, quod tales variolæ efflorescant; quæ tamen sæpe a levissima febre variolosa extricantur. Quapropter exinde patet, quod causa materialis variolarum debeat esse aliquid aliud; & quod illa mutatio, quæ in variolis fit circa arteriarum extremitates, sit tantum effectus non vero ipsa natura variolarum.

LXVIII.

Secundo: omnibus notum est materiam variolosam esse contagiosam; sed quis asserere poterit in vasorum extremitatibus, illarumque gemmis hoc contagium consistere? nisi simul ibidem dari talia seminia variolosa admittat, quæ dato tempore evolvantur. In quo casu hæc sententia aliam præ se fert faciem.

LXIX.

Tertio: structura machinæ humanæ est ferme eadem, ac in brutis secundum omnes vitæ evolutiones; in brutis autem

tem

tem talis variolosa evolutio non observatur; unde inferre possumus, quod hæc in homine non propter ultimorum vasorum structuram, sed aliis ex rationibus observetur.

Quarto: Morbillosa exanthemata non dependent a prædicta evolutione, quamvis semel tantum in vita efflorescere consueverint; igitur idem dicendum erit de variolis?

LXX.

Tandem quinto: Dantur casus, ubi sæpius idem homo bis aut etiam ter variolis laboret. Quomodo itaque fiet, ut illud, quod jam evolutum & plenarie obliteratum est, iterato reviviscat; adeoque ex omnibus jam dictis inferre debemus, quod causa materialis variolarum ab externo corporibus communicari soleat, aut, quod, quamvis hæc aliquando diu iners in corpore lateat, & data occasione evolvatur, possit

ſit tamen iterato, &, in alia epidemia communicari, & in actum deduci.

LXXI.

Examinatis pleriſque de contagio varioloſo ſententiis ſupereſt, ut noſtram de variolis palam faciamus opinionem. Dicimus itaque, quemadmodum ex tractatu de contagio aliunde conſtat, quod variolæ habeant ſuæ ſpeciei propria ſeminia, quæ data occaſione evolvantur, propagentur, & multiplicentur.

Hæc ſententia poterit cuique ex eo jam capite præ aliis arridere, quod ſit ſimpliciſſima, & naturæ operibus maxime analoga, & explanandis phœnomenis, ſymptomatiſque perquam opportuna. Cujus ulterior ratio eſt, quod variolæ debeant dici ſpecie diſtinctæ ab omni alio exanthemate contagioſo, adeoque debeant etiam habere ſeminia ſpecie diſtincta ab omni alio; ſecus enim ratio dari non poterit, quare a variolis variolæ

læ tam per insitionem, quam per contagium, & non alia exanthemata propululent.

Quemadmodum enim seminia vegetabilium specie inter se distincta dicimus, quia videmus, ex certo semine certam, & non aliam evolvi plantam; idem pariter de miasmate, seu seminio varioloso dicendum erit.

LXXII.

Quod vero hæc sint vera seminia, & similia illis, quæ in vegetabilibus & animalibus videmus, patet exinde & quidem.

Primo: quia hæc uti seminia vegetabilia ultro propagari, & multiplicari possunt, quæ propagatio, & multiplicatio ex nullo alio, quam nostro principio concipi & explanari potest.

Secundo: quia, si materia purulenta variolosa examini subtilissimi microscopii subjiciatur, exhibet innumerabilia

ani-

animalcula, eorumque ſeminia, ſeu ovula ultro multiplicabilia; quod

Tertio ipſa inſitio variolarum adhuc evidentius demonſtrat, & confirmat, quod inter inſitionem, ſeu inoculationem plantarum, & variolarum, vix aliqua videatur intercedere differentia; nam ſive ſurculum ſive gemmam ad inſitionem, aut inoculationem aſſumas, habebis cum tempore innumerabilia ejusdem ſpeciei, cujus eſt ſurculus aut gemma, exinde evoluta ſemina; aſt in hoc caſu admittere debemus, omnia hæc ſeminia in illis gemmis jam præextitiſſe; ſecus enim cogemur dicere, hæc ſeminia eſſe producta de novo, quod admitti non poſſe in tractatu de contagio evidentiſſimis rationibus evictum fuit. Idem dicendum erit de materia varioloſa ad inſitionem adhibita, quod nimirum huic inſint talia ſeminia varioloſa ſucceſſive evolvenda, & ferme ſine fine multiplicabilia.

Qui

Qui plura ſimilia, quæ ad firmandam noſtram de variolis ſententiam inſervire poſſunt, legere cupit, noſter tractatus de contagio in genere ipſi exhibebit talia magis expoſita, & explanata; quæ, ne actum agere videamur miſſa facimus.

LXXIII.

Aſt aliquis objicere poteſt dicendo: conſtat experientia, a parva panificii ſeu fermenti maſſa, ingentem aliam panificii maſſam eodem imbui fermento; adeoque iſta ulterior propagatio, & multiplicatio variolarum concipi & explanari poteſt absque dictis ſeminiis.

Reſpondeo: qui veram fermenti panis examinaverit, & noverit naturam; item qui variolas una cum aliis, quæ cum his junguntur phænomenis, rite perpenderit; longe aliter ſentiet, quam qui talia objicere ſolent.

LXXIV.

Nam primo adverſarii ſolent hanc de fermento panis paritatem ad omne cujusque ſit ſpeciei contagium applicare; adeoque ſi hæc paritas haberet aliquam vim, deberent omnia contagia eſſe ejuſdem ſpeciei, ſicut maſſa quæcunque per mixtionem prædicti fermenti prius fermenteſcens, ſemper eſt ejusdem indolis; nimirum naturæ acidæ, aut ſaltem aceſcentis; aliud vero eſt de contagio, quod diverſas ejuſdem ſpecies habet; alia eſt nimirum materia contagii varioloſa, alia morbilloſa, alia venerea, & alia ſcabioſa. Quis ergo mortalium lumine naturali tantum inſtructus, admittere poterit, omnia prædicta exanthemata ab eadem materia fermenteſcente dependere?

Secundo: obſervationibus conſtat, quod non tantum morbus varioloſus, ſed omnia alia exanthemata in putredinem ver-

vergant; prædictum autem fermentum panis naturam acidam potius induat.

LXXV.

Sed hic opponens, quemadmodum Eruditissimus Frider. Hoffmannus cum omnibus suis adhærentibus opponere solet: materia putrida (ut variolosa) hoc habet, quod aliis mixta eadem putredine, talia inficiat; & in sui naturam mutet; adeoque mirum non est, si materia variolosa, putrida humoribus noxiis mixta, eosdem in sui indolem mutet; sicque ultro propagetur, & multiplicetur.

LXXVI.

Quod materia putrida illud in sui naturam mutet, cui miscetur; hoc jam dudum omnes agnoverunt, quomodo autem hoc fiat ferme omnes ignorarunt. Ex meis vero de contagio, & putredine principiis hoc facile & clare concipitur; nam dixi omnem rem putridam constare ex innumerabilibus animalculis, il-

lorum ovulis & excrementis; quæ ſi alicui v. g. liquido non putrido miſceantur in eodem evolvantur, & multiplicentur, ſicque ſibi aſſimilent.

LXXVII.

Eadem eſt ratio de fermento panis, quod magnæ panificii maſſæ mixtum eandem in ſui indolem mutat. Ego ut hanc methamorphoſim, vel dixero potius multiplicationem, intimius cognoſcerem, ſolvi in aqua portionem fermenti panis & alterius maſſæ, cui fermentum panis mixtum erat; hanc ſolutionem examinavi microſcopio, & obſervavi eadem animalcula, in fermento panis, & in maſſa, cui tale fermentum mixtum erat; adeoque ſignum eſt, quod eadem maſſa naturam fermenti adipiſcatur, quia animalcula fermenti in eadem multiplicantur. Hoc ipſum obſervavit Celeberrimus Baker aliique in glutine aceſcente, quod componitur ex farina, aut amy-

amylo & aqua. Vide ejus partem I. Cap. IV.

LXXVIII.

Tandem ubi adverſarii aliud effugium non inveniunt, illam adeo decantatam objectionem in ſui auxilium aſſumunt; dicunt nimirum putredinem eſſe quidem cum variolis conjunctam, item in rebus putridis omnino obſervari prædicta animalcula, ſed illa eſſe effectus putredinis, non vero ipſam putredinem.

Quamvis ad hanc difficultatem jam in tractatu de contagio reſponſum fuerit; quia tamen hæc difficultas ſæpius moveri conſuevit, debet hic pro poſſibili convelli. Adverſarii ipſi admittunt, quod materia putrida in variolis, purpura, petechiis, lue venerea, aliisque ſimilibus morbis, alteri corpori communicetur, propagetur, & multiplicetur. Adeoque ſicut prædicti morbi ſpecie inter ſe differunt, debet neceſſario etiam præ-

dicta materia putrida v. g. variolarum specie differre a materia putrida luis venereæ, & aliis. Sed ista differentia non potest in alio consistere, quam in diversis animalculis, eorumque seminiis; nam materia putrida secundum mentem adversariorum considerata non admittit aliam differentiam, nisi magis & minus, in quantum nimirum una magis altera minus putrida dici potest.

LXXIX.

Sed clarissima instantia est in seminibus vegetabilium animalium, quia scilicet planta A. specie differt a planta B. debebimus admittere, quod seminia plantæ A. pariter specie differunt a seminiis planetæ B. Item quamvis stricte loquendo planta A. nihil sit aliud quam semen A. evolutum, & magis in suas partes explicatum, possemus tamen laxe loquendo plantam A. ejusque partes effectum ipsius seminis A. vocare. Et quam-

quamvis alia, & nova feminia ex femine A. & planta A. fint tantum evoluta; poffemus tamen, quin imo folemus; fed minus proprie, talia femina de novo evoluta, effectum feminis A. & plantæ A. vocare. Sic idem dicendum eft de animalculis, eorumque feminiis in rebus putridis obfervatis. Quamvis enim putredinis multiplicatio reipfa nihil aliud fit, quam animalculorum, ovulorum, eorumque excrementorum ulterior propagatio, & multiplicatio, folemus tamen hæc animalcula, & feminia, quamvis minus apte, effectus putredinis vocare; cum reipfa putredo in his confiftat, & ab his dependeat; adeoque ipfa putredo potius pro effectu habenda fit. Unde cognofces B. L. quam male ex odore rerum putridarum naufeofo effentiam putredinis extorquere fatagant multi, quia nimimirum talem odorem a particulis fulphureis valatilibus & quidem merito derivant;

vant; in his ipsissimis particulis sulphureis volatilibus essentiam putredinis pariter constituunt, cum prædictus odor sit potius effectus quam ipsa putredo dicendus. Plura vide capite de putredine.

LXXX.

Sæpe contingit, ut in rebus physicis, & medicis causa, essentia & effectus invicem confundantur; ut inflammatio est stasis sanguinis in minimis arteriolis; item causa immediata inflammationis est illa ipsa stasis, ipsa tamen inflammatio solet etiam considerari tanquam effectus illius stagnationis. Idem videmus in physicis v. g. in frigore: frigus est quies particularum, & simul illud dependere dicimus a tali particularum quiete.

Itaque multa solemus respectu nostri, & sub diversa ratione considerare, quæ reipsa unum idemque sunt.

LXXXI.

Hic quæri poteſt, an variolarum materia ſeu ipſum illud alias dictum miaſma ſit in ſe ipſo ſemper ejuſdem indolis an vero diverſæ? Ratio dubitandi eſt; quia variolæ, uti ſuperius in diviſionibus, & differentiis dictum eſt, ſæpe ita variant, ut vix ſibi ſimiles videantur.

Reſpondeo abſurdum non eſſe ſi ſeminia variolarum dicantur inter ſe differre; hoc ipſum videmus in ſeminibus animalium, & præcipue vegetabilium; ſic dantur diverſæ ſpecies pyrorum, pomorum, ceraſorum, & aliorum.

LXXXII.

Interim hoc admittere debemus, quod diverſitas, quæ aliquando in variolis obſervatur, dependeat ſæpe a certa conſtitutione temporum, loci, aut ægroti, obſervationes enim nos docent, quod ſeminia variolarum diſcretarum, & benignarum ſive per contagium, ſive per

insitionem alicui communicentur, aliquandò in variolas malignas degenerent; idem a contrario sæpius observavi, ex confluentibus, & malignis in aliis subjectis exortas fuisse discretas, & benignas. Item ex relationibus constat in certis regionibus grassari variolas plerumque malignas & lethales, sic nulli dicuntur tam funestæ esse variolæ quam Nigritarum, & Cafrorum genti. Item recentissimum habemus hujus exemplum, nam 1759. apud nos erant variolæ ut plurimum benignæ, quæ tamen eodem tempore in Dania malignæ fuisse dicuntur.

Quantam varietatem, quin imo & damnum certæ tempestates, & certi flantes venti seminibus, præsertim puberibus vegetabilibus afferant, omnibus notum est, unde mirum non est, si idem in variolis, aliisque morbis contagiosis, & epidemicis ferme quolibet anno observemus, & unam Epidemiam ab altera differre judicemus.

LXXXIII.

LXXXIII.

Præterea præterire non possum, quin aliquid saltem verisimile proferam de prima, & principe sede, quam miasma variolosum in nostro corpore occupare solet: Hæc sedes videtur esse genus nervosum, sive medullæ spinalis, sive oblongatæ, sive utriusque. Ratio asserti deducitur ex symptomatibus, quæ in variolantibus præsertim statim sub initium morbi persentiuntur. Intercurrunt enim diversæ horripilationes; lumborum, & spinæ dorsi dolor, diversi spasmi, quin imo sæpe convulsiones; quæ omnia a genere nervoso dependent.

LXXXIV.

Ratio ulterior est, quia quocunque modo miasma variolosum communicetur corpori, tandem perveniet ad vasa sanguifera, sicque cum aliis humoribus leges circulationis subibit; cum vero hæc miasmata sint tam parvæ molis, ut in

va-

vafis fanguineis aliquod obltaculum tam facile non inveniant, fit, ut lege circulationis pellantur ad minima vafcula nervos perreptantia, & circumambientia; quin imo ad ipfas fibrillas nerveas; in quibus facile fubfiftere, conquiefcere, ac tandem fobolefcere, & evolvi incipiunt; donec ultro, & ad maffam fanguineam mediantibus prædictis motibus fpafticis excutiantur; & in vafis fanguineis, quin imo etiam in lymphaticis femper magis & magis propagentur, & multiplicentur.

LXXXV.

Fundamentum talia, quæ forte alicui paradoxa videri poffent, afferendi confiftit in eo, quod obfervationibus conftet, five miafma variolofum per contagium, five per infitionem communicetur corpori, non foleat ftatim in actum deduci, fed intra octiduum, & tardius primo efflorefcat; adeoque fignum eft, quod

quod prima talis evolutio non fiat in vasis sanguineis, saltem non in illis, quæ sunt majoris diametri.

LXXXVI.

Ex hoc fundamento asserere etiam possumus, quod talia miasmata variolosa in fibrillis nerveis diutissime inertia latere possint, antequam ab aliqua causa externa in actum deducantur. Item debemus admittere, quod sæpe talia miasmata contagiosa a parentibus hæreditario titulo possideamus, quæ diu inertia in nostro corpore latent, cum tempore vero, aut ab aliqua causa externa in actum deducantur, aut quando talia seminia proprium, & quasi præstabilitum suæ maturitatis terminum attigerint, evolvantur, & efflorescant.

LXXXVII.

Omnia hæc, quæ dixi, fundantur in certis & omnibus notis observationibus; sic constat, semina, tam animalium

um quam vegetabilium habere certos pro sui tam fotu, incubatu, quam evolutione terminos, adeoque idem de seminiis contagiosis dicendum erit.

LXXXVIII.

Item experientia nos docet, & observationibus confirmatum habemus, quod fratres & sorores, multis miliaribus ab invicem dissiti eodem tempore, & eodem afflentur, corripianturque contagio; quales casus legi possunt in Tract. de contagio §. CXLI. Verum in his casibus nulla potest assignari causa externa excitans; neque possibile est, ut contagium in tantam distantiam agat, & propagetur, adeoque in similibus casibus admittere debemus, quod talia seminia contagiosa illis corporibus jam insint, & cum ex eodem fonte nimirum a parentibus originem habere supponere possimus, mirum non est, si eodem ferme tempore terminum maturitatis adipiscantur.

Hoc

Hoc ipſum patet ex aliis morbis hæreditariis, ut arthritide podagra, lue venerea, aliisque, qui diu antequam efflorefcant, in corpore latere poſſunt.

LXXXIX.

Tandem multæ obſervationes nos docent, quales pariter in tractat. de contagio legi poſſunt, quod ex animi pathematibus, ut ira, terrore morbi contagioſi ut variolæ, morbilli, miliaria quaſi reſuſcitentur, & contrahantur, & quidem ſæpe tali tempore, ubi nulla ſimilis Epidemia graſſatur. Sic ſæpe contingit, ut ex aſpectu horridæ a variolis fœdatæ faciei variolis corripiantur quidam, & exinde ægre decumbant.

Ex quibus obſervationibus inferre poſſumus, quod talia miaſmata contagioſa, in ſimilibus ſaltem caſibus, in corpore, & quidem in genere nervoſo, latere debeant; quia prædicta animi pathemata directe & immediate genus ner

vo-

vofum attingunt, & affligunt, unde prædicta miafmata, feu feminia contagiofa commoventur, excutiuntur; & in actum deducuntur. His præmiffis recepto ordine fequitur prognofis.

XC.

Quo mitiora funt fymptomata, quæ eruptionem variolarum præcedere folent, eo tardius nimirum ut plurimum die quarta fit variolarum eruptio. In quo cafu variolas fere femper difcretas, & benignas obfervavi.

XCI.

Ex majore aut minore gradu febris, idem dicendum eft de proftratione virium, variolas benignas, aut malignas futuras præfagire poffumus. Si febris fit magna cum fopore conjuncta, plerumque variolæ aut confluentes, aut anomalæ fupervenire folent.

XCII.

XCII.

Vidi ſæpe præſente minore febre, quamvis convulſiones cum deliriis, clamoribus per biduum, aut etiam triduum afflixerint, variolas diſtinctiſſimas, & benignas ſuperveniſſe.

Unde convulſiones, quæ eruptionem variolarum præcedunt nullum portendunt periculum, ſecus vero, ſi alio ſuperveniant tempore; etenim vel demonſtrant, latere adhuc alia exanthemata in corpore vel metaſtaſim in principem aliquam corporis partem factam eſſe.

Si ſanguis e vena miſſus eſt lardaceus Bacclivius judicat, variolas mali moris futuras, quod ego ipſe confirmatum obſervavi, ſi febris ſit magna, & ingens virium dejectio.

Juvenes ſemper facilius variolas tolerant, & ſuperant, quam qui ætate ſunt provectiores, Variolæ coufluentes plus periculi ſecumferunt quam diſcretæ, item di-

diſcretæ anomalæ magis metuendæ, quam regulares.

XCIII.

Variolæ, quæ impetuoſe, & confertim erumpunt, ſemper majus periculum portendunt, quam, quæ lente, & ſucceſſive prodeunt; quia quæ una erumpunt, etiam una ſuppurantur, ſicut quæ ſucceſſive erumpunt, ſucceſſive in ſuppurationem tendunt; unde in illis ſemper vehementior febris ſuppuratoria, in his vero mitior urget.

Variolæ ex facie potius, quam ex aliis corporis partibus judicantur, quare ſi in facie frequentes, aut confluentes fuerint, quamvis in aliis partibus diſtinctæ, aut raræ appareant, prognoſis tamen ex illis, quæ faciem occupant, deſumenda eſt. Variolæ, quo ſub ipſa eruptione magis rubent, eo benigniores. Si in principio quartæ diei, aut finiente jam tertia die erumpant variolæ, ad

re-

regulares ſpectant, & plerumque benignam inducunt indolem. Si vero in principio tertiæ diei, aut ſecunda jam die prodeant; denique quo magis quartam diem antevertunt, eo pejoris ſunt ominis.

XCIV

Si exacta jam variolarum eruptione febris, & reliqua ſymptomata perſeverant, ſignum eſt, alia exanthemata, ut miliaria in corpore latere, quæ non mitigantur, donec prædicta miliaria in conſpectum veniant; quod in epidemia An. 1745. & 1746. fere quotidie videre erat.

Diarrhæa, niſi excedat, ut in prædicta epidemia 1745. quæ fere colliquativa erat; nihil mali portendit, adeoque non eſt ſiſtenda. Idem dicendum eſt de ſudoribus, qui in variolis diſcretis ætate provectiores tenent.

XCV.

Ptyalifmus, qui in confluentibus & in anomalis variolis adultos affligit, fi rite procedat, & quo diutius durat, eo magis ægrum levat; fi vero, ut fæpe contingit, die undecima fiftatur, tunc refpiratio & deglutitio fit difficilis, vox rauca, & clangofa, æger inquietus, anxiofus, delirans, & micturiens, in quo cafu mox convellitur, & moritur. Si vero in illo ftatu, quo ptyalifmus fiftitur, manuum pedumque tumor increfcat, prædicta fymptomata leviora, & mitiora effe folent.

Narium hæmorrhagiæ, quæ ante variolarum eruptionem, aut fub ipfa eruptione contingunt, ægrum potius fublevant, quam opprimunt.

Variolæ, quo magis funt elevatæ, & turgidæ, item circulo rubro donatæ, eo melioris funt notæ, latæ vero & depreffæ aut in medio foveam habentes,

aut

aut prædicto circulo rubro carentes, ut plurimum funeftæ effe folent.

Infantes minus periclitantur, quam adulti, quia illis morbus congruus, iftis vero non ita, five fœtus in utero matris, five mulier uterum gerens, five uterque variolis laboret, femper pro utroque fummum abortus & vitæ periculum fubeft. Variolæ lividæ aut nigræ indicant materiam acrem cauſticam facile in gangrænam tendentem.

Si poft peractam eruptionem foporofi maneant, aut tales fiant, qui prius non erant, fignum eft, vel quod alia lateant exanthemata, vel quod inflammatio cerebri adfit, quam dein convulfiones & mors excipere folent.

Variolæ, quibus purpura, aut petechiæ interfperfæ, plerumque funeftæ funt.

XCVI.

Si tempore fuppurationis interftitia variolarum rubeant, & tumeant, fi tu-

mor faciei ſit competens quantitati & qualitati variolarum, ſi denique tumorem faciei excipiat tumor manuum, & pedum, ſignum eſt, morbum via ſalutari incedere.

Si vero prædicta non ſuccedant, aut, ſi tumor adſit, ſed præcipitanter, aut temporius concidat, tum ægri anxioſi fiunt; & derepente moriuntur.

XCVII.

Metaſtaſis, quæ per modum abſceſſus fit, ſive hæc interne, ſive externe contingat, mala. Sæpe enim in ſuperficie corporis fiunt ulcera maligna ſerpentia, quæ vix curam admittunt. Sic talia ulcera plena vermiculis obſervabantur in variolis, quæ in Inſula Rugia, & Stralſundia graſſabantur.

XCVIII.

Materia purulenta varioloſa ad ſanguinem reſorpta, ſi nec per urinam, nec per alvum, aut aliam viam e corpore ſe-

ſecedat, ſolet ſuperatis jam variolis in ſuperficie corporis diverſos furunculos nunc majores nunc minores formare, qui valde dolorifici, & tandem ſuppurati, atque aperti magnam materiæ purulentæ copiam fundunt. Hi plerumque plus incommodi, & dolorum, quam periculi ſecumferunt.

XCIX.

Interim vidi tales furunculos, ſat frequentes & in longum tempus protractos; nam aliquot eorum vix apertis, mundatis, & necdum conſolidatis alii recentes, & ſic repetitis vicibus, ſuperveniebant; qui ægre febrem lentam, moraſmum, ac tandem mortem inferebant; in ſimilibus caſibus judico, ſicut partes externas, ita etiam interna viſcera ſimilibus furunculis occupari. Variolæ nothæ, alias chryſtallinæ, lymphaticæ, aut fatuæ dictæ perhibentur ab aliquibus funeſtæ fuiſſe. Ego viginti &

plurium annorum curriculo sæpe & plures vidi, sed semper tales vidi, quæ attentionem medicam vix mererentur; adeoque si quis exinde denascatur, forsitan ex aliqua alia nobis invisa interna labe hoc contingere satius judicari poterit.

Tandem generalis Hyppocratis regula, & prognosis hic oblivioni danda non est; qua docemur in morbis acutis incertas esse prædictiones salutis & mortis.



C A-

CAPUT IV.

Siſtit curationem variolarum, earumque ſymptomatum.
Item inſitionem, diverſaſque de variolis obſervationes.

SECTIO I.
De Variolarum curatione.

C.

Venerandus artis medicæ reſtaurator Boerhavius in ſuo tractatu de variolis judicat, quod vulgari, & nunc recepta variolas tractandi methodo nemo, niſi ſponte, evadat. Unde vereor, ne cuipiam eorum, qui jurarunt in verba Magiſtri; inofficioſus, aut injurius videar, ſi indicationes variolarum curativas inſtituam, quæ cujuslibet votis non reſpondebunt, reſpondebunt tamen ut ſpero, a me ſuperius allatis cauſis & phœnomenis,

Hic tamen prænotandum judico, quod pro diverſo variolarum ſtadio etiam diverſæ exurgant indicationes; nam aliæ ſunt in primo ſtadio, nimirum invaſione, & apparatu; aliæ in ſecundo, ſeu expulſione, & aliæ in maturatione ſeu ſuppuratione.

CI.

In primo illo ſtadio indicationes debent reſpicere principaliter ipſam cauſam immediatam variolarum, deinde primo principes effectus, qui in hoc ſtatu obſervantur, uti eſt febris, & phlogiſtica humorum conſtitutio.

Pro cauſa immediata materiali variolarum conſtitui ſeminia propria varioloſa, evolubilia, & multiplicabilia, adeoque prima, & princeps indicatio deberet eſſe, ut hæc deſtruantur, inertia reddantur, eorum evolutio, multiplicatio, eruptio & ſuppuratio impediatur; hoc fieri deberet remediis, quæ in prædictum miaſma varioloſum agendo, illud

aut

aut iners, &, ut dicam, ſterile efficerent, aut per convenientes vias antequam evolvatur, eliminarent.

CII.

Aſt talia remedia, quæ his indicationibus ſatisfacerent ad hanc uſque diem in votis ſunt; interim deſperandum non eſt, quin talia, ut Clariſſ. Boerhavius confidit, ex antimonio, & mercurio, præparari poſſint. Nam experientia habemus, quod per remedia mercurialia cum aliis mixta, debito tempore, ordine, & doſi adhibita, variolæ alias confluentes futuræ, ad paucas, & benignas diſponi poſſint. Tale remedium, multiplici experientia comprobatum deſcriptum habetur in Act. Acad. Reg. Suecicæ ſcient: Anno 1751 vel XII. Item in commentariis de rebus in ſcient. nat. & med. geſtis vol. III. p. 533.

Hoc remedium conſtat ex calomelan. camphora, aloë, & reſina quajaci.

CIII.

CIII.

Si effectus hujus remedii talis est, ut ibidem laudatur, tunc aliter hoc fieri non potest, quam quod prædicta seminia variolosa secundum quid e corpore eliminentur, & inertia reddantur. Aut quod corpus ita disponant, ut numerosa & frequens variolarum evolutio impediatur. Si itaque talia remedia in rerum natura existunt, quæ miasma variolosum secundum quid iners efficere possint, sperandum est, fore, ut alia adinveniantur, quæ illud in totum evertant, & iners reddant.

CIV.

Aliud fundamentum hæc asserendi deduci solet ex eo, quod in variolis phlogistica, & inflammatoria quædam indoles adesse observetur; nam sanguis venæ sectione extractus lardaceus ut plurimum esse solet; adeoque sicut videmus alias inflammationes, ut pleuritidem, pe-

peripneumoniam, eryſipelas diſcuti ſæpe abſque aliqua ſuppuratione, idem fieri poſſe in variolis autumant multi.

CV.

Attamen ſi a poſteriori conſideretur phlogiſtica conſtitutio humorum, quæ in variolis obſervatur, videbimus, quod differat ab illa, quæ in aliis morbis inflammatoriis obtinet.

Nam illam venæ ſectionibus, iiſdemque antiphlogiſticis remediis tractamus, quemadmodum alias inflammationes; & tamen nunquam abſque ſuppuratione acmin attingere videmus, uti alias inflammationes. Quapropter exinde cognoſcere poſſumus magnam hic intereſſe differentiam, quod ex noſtris de contagio principiis facile concipitur, nam in variolis humores noſtri corporis corrumpuntur, & conſpurcantur, dum ſeminia varioloſa evolvi & multiplicari incipiunt, tunc enim animalcula illa deponunt copio-

piosa excrementa, & ovula, quæ humoribus nostris mixta eosdem corrumpunt eodem modo, uti diximus de aqua nuceriana putrida, & exinde turbida reddita; vide tractat. de contagio.

CVI.

Itaque hic monendum duco, quod sæpe fallamur, dum credimus variolas sine suppuratione suum cursum absolvisse, ego ipse multos similes casus habui, qui mihi imposuerant, dum credebam miasma variolosum per urinas secessisse e corpore absque suppuratione; sic 1759 & 1760. ex quinque prolibus idem cubile inhabitantibus una corripiebatur variolis utcunque discretis & benignis, hac vix sanitati jam restituta, ægrotabat alia cum ingente febre, siti, inquietudine; denique videbatur adesse totus apparatus ad variolas; quare sanguis mittebatur, clysteres emollientes quotidie injiciebantur, & antiphlogistica in usum voca-

ca-

cabantur; die tertia morbi, qua variolas expectabamus, deferuefcebat in totum febris, & ægra bene valebat. Quia vero urina cum copiofo fedimento feceſſerat, credebam miafmata variolofa motu febrili digefta, & cocta per urinas eluminari; aft experientia aliter docuit, nam altera foror brevi poft corripiebatur variolis; cui aliquot poft diebus fucceſſit prædicta ægra.

CVII.

Cum itaque remedia, quæ ipfum miafma variolofum juxta jam datas indicationes directe attingant, necdum nobis nota fint, fupereft, ut aliæ formentur indicationes, quæ nitantur in illis præcipue duabus obfervationibus, jam fuperius notatis, nimirum, quod in primo, & fecundo ftadio variolarum humores noftri phlogifticam induant indolem; item quod obfervemus, quo magis urget febris, eo plures, & pejores erumpere foleant variolæ.

CVIII.

CVIII.

Quapropter refpectu primæ obfervationis indicantur omnia antiphlogiftica, diluentia fæpe, & magna copia affumpta. Victus tenuis ex hordaceis, avenaceis, farinofis, pomis horæis. Refpectu autem motus febrilis excedentis indicantur jam prædicta antiphlogiftica, & fanguinis miffio & quidem ea quantitate, ut fuperfit motus febrilis, qui fufficiat variolis expellendis, digerendis & fuppurandis.

CIX.

Hæc fummatim dicta funto; nam multa in particulari de his dicenda reftant, uti hic enumeranda effent fingillatim remedia antiphlogiftica, quæ defumi poffunt ex aquofis, nitrofis, & farinofis, acidis acefcentibus, lenioribus faponaceis, aliifque humectantibus, diluentibus, & emollientibus; ex quibus dein diverfæ formulæ: mixturæ, julapia, decocta,

in-

infusa, Syrupi, Rhob, emulsa parari possunt. Verum hæc videri possunt in Clarissimorum Boerhavii, & Davidis Gorter materia medica; ideoque missa facimus.

CX.

Unde disquirendum tantum erit, in quibus casibus, & circumstantiis aliqua eorum adhiberi debeant, nec ne. Idem intelligendum est de venæ sectione. Generales enim regulas in cura variolarum afferre non ausim; alia quippe debet esse ratio medendi in variolis discretis, & benignis, quam in malignis, & confluentibus. Item alia in infantibus, pueris, & alia in adultis; idem dicendum est de aliis casibus, variisque circumstantiis.

CXI.

Quare male agunt illi, qui semper fere eadem remedia præstituere solent in uno sicut in altero casu. Alii vero ad-

huc majore animadverſione digni ſunt, qui audent, remedia, quæ in variolis benignis proficua eſſe obſervarunt, tanquam ſpecifica in & pro variolis malignis venditare; cum experientia doceat, variolas benignas leviſſimis, & fere inertibus remediis quam facillime, & feliciſſime ad acmin perduci poſſe, quod in malignis exquiſita arte, omnique adhibita ſolertia vix obtinere fas eſt.

Variolæ enim benignæ vix aliam curam exigunt, quam regimen tam quoad Diætam, quam quoad aëra moderatum, & temperatum, ſic enim natura ipſa totum reliquum negotium melius, quam quæcunque nimium exculta, & acuminata ars, perficiet, quod ſolertiſſimus Sydenham ipſe obſervavit, & indicavit ſectione III. Cap. II. de variolis regularibus Annor. 1667. 1668. dicens: *Natura enim ſibi permiſſa negotium ſuum ſuo tempore exequitur, materiamque debito ordine*

ac via tum decernit, tum etiam expellit, & nostra ope, nostrisque artificiis, atque auxiliis non indiget, suis viribus optime instructa, suis opibus locuples, suo denique ingenio satis edocta.

CXII.

Ex quibus edocemur, quod, si medicus, ad infantem aut puerum variolis laboraturum advocetur, quem moderate febricitantem invenit, quamvis inquietudines, anxietates, deliria, aut convulsiones urgeant, non debeat statim ad sanguinis missionem, vesicatoria, aut ad antiepileptica volatilia confugere; sed clysmata emollientia, pediluvia, diluentia, atque leniora antiphlogistica in usum vocare, quibus dein paccatissima, & benignissima variolarum eruptio cum prædictorum symptomatum mitigatione succedere consuevit.

E contrario, si prædicta genus nervosum irritantia, orgasmum inducentia,

atque variolas præpoſtere expellentia adhibeantur; ſequitur feſtinata, & mali moris eruptio, diximus enim ſuperius, quod variolæ, quo citius erumpunt, eo maligniores eſſe ſoleant.

CXIII.

Quamvis venæ ſectio variolas nec promoveat, nec malignas reddat, ſi tamen in debili, & laxo infantum corpore, & abſente magna febre inſtituatur, genus nervoſum, membranoſum, & vaſculoſum nimiam exinde contrahit atoniam, ex quo fit, ut motus tam in expulſione, quam in ſuppuratione langueant, adeoque miaſma varioloſum, quod ad peripheriam corporis pelli deberet, in partibus internis, & viſceribus hæreat, diverſisque formandis internis abſceſſibus viam ſternat.

CXIV.

Quare mirari non debemus ſi aliquando ex variolis benigniſſimis mors

repen-

repentina, & inexpectata eveniat. Ego vidi aliquot tales casus, alii practici plurium meminerint similium, ubi ægri variolis discretissimis, & benignissimis laborantes, jam in vado constituti esse videbantur, convellebantur, & emoriebantur, quales inexpectati & funesti casus non aliunde dependent quam, quod, aut diu jam latentes in corpore abscessus, aut primo a materia variolosa producti, rumpantur, materiam purulentam in nobilia viscera effundentes.

CXV.

Interim inficias ire nolim, quod sæpe contingat, infantes non tantum magna febre variolosa, sed simul etiam febre inflammatoria cum sopore ex dentitione affici, in quo casu, quia variolæ malignæ metuendæ, sanguis in debita quantitate mitti debet, & quidem in pede.

CXVI.

Si vero propter nimiam in tenerrima hac ætate vaſorum tenuitatem vena lanceola aperiri non poſſit, hirudines applicandæ erunt, quæ, cum gutatim cruorem evacuent, non ita debilitant.

CXVII.

Interim obſervationem, cujus nullus, quantum ſcio, meminerit, tacitus præterire non poſſum, quod nimirum in illo caſu, ubi febris variolofa cum febre inflammatoria ex dentitione conjungitur optimum ſit, ſi hirudines poſt aures applicentur, ſecus enim ex convulſionibus, & ſphacelo cerebri pereunt infantes antequam plenaria variolarum eruptio ſuccedat.

Ratio hujus obſervationis conſiſtit in eo, quod infantes in ſimili caſu ſoporoſi, & delirantes jaceant; facies eorum, ſicut gingivæ, rubeat, & tumeat, quod denotat ſtaſim inflammatoriam hærere in

vaſis

vasis cerebri, cerebelli, meningum, aliarumque partium adjacentium, adeoque si jugulares, quæ immediate cum sinubus, carotidibus, aliisque vasis communicant, evacuentur, & exonerentur ex legibus hydraulicis, & derivationis sanguis carotidum, & vertebralium liberiorem exinde adipiscitur motum.

CXVIII.

Quare observavi, quod similes infantes sub ipsa operatione jam pallescant, quieti, & tandem somnolenti evadant, deinde vero expergefacti tota facie & actionibus animalibus in melius mutati videantur.

Quod dixi de febre inflammatoria ex dentitione cum febre variolosa conjuncta, idem intelligendum est, si nulla adsit febris variolosa.

CXIX.

Est præterea ratione nitri, & paregoricorum in infantibus cautela adhi-

benda, ne hæc duo remedia in tenerrima hac ætate eadem liberalitate uti in ætate provectioribus in usum vocentur. Quamvis enim hæc in motibus febrilibus, & spasticis domandis primatum obtineant, nihilominus tamen in hac ætate primum nimium iritat genus nervosum, alterum vero spiritus opprimit, nervosque stupefacit, ex quibus dein plus damni quam emolumenti expectandum est.

CXX.

Superest alia multorum, sed erronea opinio, qui judicant, vires quandoque itaque languere, ut variolarum expulsio, nisi remediis alexipharmacis volatilibus adjuvetur, perfici & absolvi non possit; quare mox ad myrrhata, aliaque volatilia, vesicatoria, confugiunt; ex quo fit, ut non tantum febrem & variolarum numerum augeant, sed & earum qualitatem benignam in malignam sæpe mutent. Quod ipse ineluctabili ex-

pe-

perientia edoctus Sydenham de variolis regularibus sentit dicens: *Neque sane ipse vidi, aut fando accepi, quemquam ex eo periisse, quod variolæ non eruperint, etsi nimis multi perierint*, quorum variolæ laudabiliter eruperant.

CXXI.

Est tamen casus dabilis, quales ipse vidi, ut expulsio variolarum difficilis fiat; ut si nimia adsit febris inflammatoria, uti præcipue hoc fit ex dentitione, in quo casu minima vasa una cum cute nimium a spasmis constringuntur, sicque expulsio variolarum impeditur. Verum enim vero in tali casu omnia volatilia, omniaque irritantia necrotica dici debent, quia prædicta obstacula exinde augentur, convulsiones, gangræna & mors acceleratur.

CXXII.

Quapropter in periculoso, & ancipiti simili statu, quamvis aliquot variolarum

manipuli in cute jam appareant, necessaria est sanguinis missio, clysmatum emollientium, pediluviorum, diluentium, & antiphlogisticorum assiduus usus; quibus dein sat benigna succedere solet eruptio, & suppuratio.

CXXIII.

Si tamen, quod oppido rarum, objiciatur casus, ubi præ debilitate eruptio variolarum succedere non possit, ut si diuturna præcesserit diarrhæa, aut largissima hæmorrhagia, in tali casu omnino hæc adjuvanda est remediis nimirum lenioribus cardiacis, & expellentibus; non vero nimium volatilibus, & excalefacientibus. Optima in simili casu sunt illa remedia, quæ sale volatili sulphureo anodyno prædita sunt, ut flores Sambuci, chamomillorum; crocus, sassafras, & alia his analoga, quorum ope natura non irritatur, sed suavissime ad expellenda heterogenea in corpore latentia adjuvatur.

CXXIV.

CXXIV.

Hæc brevis, succincta mitisque variolas præcipue infantum, puerorumque tractandi ratio, est hoc tempore apud plerosque practicos recepta; quia cum longe absit ab omni violentia, est naturæ agenti, ipsique tenerrimæ huic ætati quam maxime conformis, & appropriata.

CXXV.

Hæc ipsa methodus congruit etiam adultioribus, præsertim illis, qui variolis benignis laborant, aut primo laboraturi sunt; etenim in similibus pariter, præter regimen aëris, & diætæ temperatum & moderatum, diluentia, antiphlogistica, clysmata emollientia, pediluvia, in usum vocanda sunt.

CXXVI.

Nitrata, paregorica, & sanguinis missio largiore, & liberaliore manu administrari possunt hic, quam in infantibus; quod de venæ sectione præ aliis in-

intelligi debet; nam quamvis in primo illo variolarum ſtadio a febri ſat levi hæc vix indicaretur, debet tamen ſanguis mitti, ad hoc ut facilius mitis, & benigna ſuccedat ſuppuratio; diximus enim nec in primo, nec in ſecundo ſtadio, ſed in & ex ſuppuratione ſubeſſe vitæ periculum, quia in hoc ſtatu ſolet ſæpe fieri raptus ad cerebrum, ex quo dein phrenitis, convulſiones, & mors ſequuntur.

CXXVII.

Item ſi magna ſit febris ſuppuratoria, facile evenire poteſt, ut ſcirrhi, aut occulti interni abſceſſus, ſi qui adſunt, inflammentur, tandemque rumpantur. Ex quo fit, ut miremur attoniti variolis de ſe benignis aliquando improviſam ſupervenire mortem; quales funeſti caſus cuilibet medico practico noti ſunt, ſimilesque legi poſſunt præter alios apud Zarutum Luſitanum lib. II. hiſtoria III. Quapropter, ut funeſta ſympto-

ptomata in adultis tempore ſuppurationis ſupervenire ſolita præcaveamus, præſtabit in variolis etiam benignis venam ſecare.

Hæc ſunt fere generalia variolarum remedia, quæ tam in infantibus, quam in adultis, tam in diſcretis benignis, quam confluentibus, anomaliſque indicantur, & pro diverſa circumſtantiarum, ſuperius jam notata ratione in uſum vocari ſolent.

CXXVIII.

Verum in confluentibus, anomaliſque variolis interdum tanta eſt malignitas, ut omnia ſupradicta remedia, nimirum venæ ſectiones, enemata pediluvia, diluentia, paregorica, aliaque antiphlogiſtica imparia obſerventur huic cicurandæ, & domandæ malignitati, unde neceſſe fuit, ut attenti, & ſolertes practici alia atque alia, quæ magis ſatisfacerent, experirentur, nobiſque communicarent, quorum hic meminiſſe neceſſe erit.

Quia

Quia vero in prædictis malignis variolis quolibet die, & quolibet morbi tempore, diversa lethalia supervenire possunt symptomata indicabimus, quid quolibet morbi tempore & in diversis circumstaniiis agendum sit.

Si itaque advocatus medicus ex symptomatibus §. XXXVI. allatis prævideat variolas malignas, sive coufluentes, sive anomalas futuras, debet primo considerare febrem, quæ in similibus casibus semper magna esse solet; unde sine mora sanguis mitti debet, quod post aliquot horas repetendum est; si febris urgeat, præcipue si pulsus sit plenus, & tensus, si sanguis extractus appareat lardaceus, ætasque sit in vigore constituta, tunc sanguis ternis, aut quaternis venæ sectionibus, & quidem ad uncias fere quadraginta extrahendus est, alias enim inflammatoria constitutio non mitigatur, ut Sydenham ipse de pleuritide judicat.

CXXIX.

CXXIX.

In similibus casibus sæpe observamus, quod sanguis prima morbi die, aut etiam initio secundæ diei, extractus utcunque laudabilis esse appareat; alter vero, qui tardius mittitur, perquam phlogisticam jam induerit indolem; quæ unica, si alia non adesset ratio, jam sufficere posset, ut tantum, prout mox antea dixi, mittatur sanguinis.

CXXX.

Ast hanc rationem ipsa experientia testibus omnibus sanioribus practicis confirmat; etenim videmus, præmissa tali extractione sanguinis, variolarum eruptionem faciliorem & suppurationem benigniorem succedere; quidquid in contrarium objiciant theoretici, credentes in tali casu motum magis ad intra quam ad extra verti, adeoque variolarum eruptionem potius impediri, quam promoveri, quin imo variolarum retrocessum metuendum esse.

CXXXI.

Judico enim experientia edoctus inanes esse metus, & inania verba de variolarum retro pulsione; hoc quidem videmus, quod exanthemata, qua nullam habent elevationem ut petechiæ, scarlatina a certis causis externis, ut frigore facile retrocedant; de variolis vero, præsertim si aliquamdiu jam peripheriam corporis occupent, idem tam facile dici non potest; quia si quid simile appareat, hoc fit, quod variolæ, quæ plenæ & turgidæ erant, fiant flaccidæ, earumque interstitia, quæ tumebant, & rubebant, concidant, & pallescant; sed hoc fit, quia humor, qui variolas & earum interstitia implebat, retrocedit, seque ad aliquam etiam partem internam recipiat; in quo casu dicere non possumus, quod variolæ retrocedant; secus enim, cum hoc ipsum in variolis discretis die undecima aut decima quarta cum euphoria con-

contingat, deberemus pariter dicere, variolas retrocedere; nam illo tempore pariter variolæ, quæ prius plenæ, turgidæ & tensæ erant, fiunt flaccidæ, quia humor ad sanguinem resorbetur, legeque circulationis ad renes & vesicam defertur, sicque per urinas copiosas evacuatur.

CXXXII.

Statuo itaque quasi jam definitum, quod quocunque variolarum tempore, sive id sit primum, sive secundum, sive tertium, seu suppurationis stadium, si adsit urgens febris, præcipue si hæc cum phrænitide, sputo sanguinis, aut alio lethali symptomate conjuncta deprehendatur, possit, quin imo debeat venæsectio celebrari; secus enim actum est de ægro.

Si hæc, quæ effatus sum, autoritatibus Clarissimorum Practicorum confirmare vellem, nimis multus essem; un-

de aliquot tantum eorum adducam, reliquos quisque consulere poterit.

CXXXIII.

Sic Barbairac Celeberrimus Medicus monspeliensis in suo consilio ad variolas alicui nobili familiæ funestas, judicat repetitis vicibus in pede, & brachio sanguinem mittendum esse; quin imo omni tempore morbi, si grave aliquod symptoma exigat, quamvis jam adsint variolæ, petechiæ, aut purpura, venæsectionem instituendam esse asserit. Vide Mangeti Bibliothec. pract. Tom. IV. p. 714.

Idem observavit, nobisque communicavit in tractatu de variolis Expertissimus Violante, credi ditque, variolas certis familiis funestas, non nisi præmissis repetitis & largis venæsectionibus curari posse.

CXXXIV.

Inter alios similes casus, qui hic Vindobonæ noti sunt, præeminet ille,

qui

qui perquam illustrem familiam de Stockhamer concernit; nam viventis, & florentis hoc tempore nobilissimæ hujus familiæ Parentis omnes fratres, sororesque ex variolis denati sunt, hoc unico ex largis & repetitis venæsectionibus servato.

Idem casus attigit Excellentissimam Comitem N. N. 30. circiter annos natam, & 1745. variolis correptam. Huic ego, & Eruditissimus D. Collega Staindel de Blessenet, diu noctuque adstiteramus, curam dirigente Magnifico pie defuncto Domino Weber de Fürnberg. Principium & insultus morbi variolas confluentes & pessimas præsagiebat. Non obstantibus multis, quæ jam secunda morbi die eruperant, sanguis repetitis vicibus ad quadraginta circiter uncias missus erat. Unde dein illa furibunda febris mitigabatur, variolæ, quamvis frequentes, benignæ tamen eruperant, facile

ſuppurabantur, & feliciter ad acmin perducebantur.

CXXXV.

Quod vero in ſecundo & tertio variolarum ſtadio, ſi febris adſit magna, ſi phrænitis, ſi ſanguinis per alvum, per urinam aut per os ſeceſſus urgeat, ſanguis mitti poſſit, & debeat, videre poſſumus apud Sydenhamium, Sidobre, Medicum monſpelienſem; Sigiſm. Graſſii obſervat. XIII. apud Bonetum Medic. Septentr. part. alt. pag. 223. & alios.

CXXXVI.

Quod autem apud noſtrates, ſaniores practicos hæc methodus jam dudum obtinuerit, patet ex Celeberrimo quondam hic Practico Sorbait; qui tractat. VII. Cap. XIII. de variolis periculoſiſſimis ſequentem notabilem adducit caſum: *Illuſtriſſima de Berg 26. annos nata, cum pulvere ex lapide Bezoardico ſat copioſe uteretur, variolæ quidem affatim per totum*

cor-

corpus eruperant; sed facta ingenti fermentatione humores ita in caput irruerunt, ut in soporem & alienationem mentis devoluta esset; ita, ut oculis apertis & quasi convulsis cum ingenti stertore dormiret, & ad funestum Serenissimi Ferdinandi IV. recens exemplum jamjam apoplexia tangi videretur. In tantis rerum angustiis advocatus ego, suasi, ad faciendam humorum in caput irruentium revulsionem, ut utraque pedis vena secaretur, - - aperta itaque pedis utraque vena, & adhuc fluente sanguine, ægra loqui cœpit, & de præsentissimo mortis periculo erepta fuit. Ex quo fundamento in tractatu de variolis lapidem Bezoardicum aliaque volatilia damnat; quæ ut ibidem dolet, perniciosa, funestaque fuere Ferdinando IV. Romanorum Regi. Idem fere casus legitur in miscellaneis naturæ curiosorum Anni tertii p. 92. obs. 55.

CXXXVII.

Ratio vero, quare in nimio calore febrili larga debeat institui sanguinis missio, ex nostris de contagio principiis facile concipitur; ostendimus enim ibidem, quod in majore calore febrili fiat major corruptio & putrefactio humorum, adeoque copiosior, & frequentior miasmatis contagiosi evolutio, & multiplicatio.

CXXXVIII.

Ex quo ultronee deducere possumus, quod in variolis omnia evitari debeant, quæ calorem sive interne sive externe augere potis sunt; quia experientia docet, omnia hæc perquam perniciosa esse ægris. Unde exulare debent omnia vulgo dicta calida remedia; æger debet iisdem stragulis tegi, quibus sanus erat assuetus. Calor cubiculi debet esse graduum circiter 66. Verum superfluum esset plura de variolarum regimine addu-

adducere, quia hæc certis experimentis confirmata & repetitis vicibus inculcata legi possunt apud Sydenhamium; & apud eruditissimum archiatrum Antonium de Haen, in operibus ab ipso nuper in lucem editis.

CXXXIX.

Hæc de venæsectione dicta sufficiant, reliquum est, ut remedia indicemus, quæ materiam peccantem variolosam respiciant, & enervent. Superius jam diximus, in variolis malignis, sive confluentibus, sive anomalis convenire quidem omnia antiphlogistica, nitrata, diluentia, & reliqua ibidem exposita. Verum virus miasmatis variolosi videmus quandoque esse tam malignum, ut prædicta remedia imparia huic debellando inventa fuerint.

Quapropter quam plurimis, & a probatissimis Practicis captis experimentis cortex Peruvianus, uti in omni-

bus aliis malignis febribus, ita etiam in variolis malignis observatus est esse remedium, quod omnibus aliis præferri debet. Cujus adhibendi methodus, quantum ego observavi, sequens aliis præferenda est.

CXL.

Si ægrotus diætæ regulas sæpe transgressus fundamentum exhibet medico suspicandi, humores corruptos in primis viis latere; in simili casu debent isti prius e corpore ablui, & per epicrasim evacuari; secus enim, si tales ad sanguinem deferantur, majorem putrefactionem & malignitatem inducunt.

CXLI.

Remedia, quæ huic indicationi inserviunt, & apprime satisfaciunt, desumi possunt ex tamarindinis, manna, cassia, magnesia nitri, aliisque similibus evacuante & antiphlogistica vi præditis; quorum effectus adjuvari, & promove-

ri poterit per sæpius injectos clysteres: quare absint in hoc morbo omnia aloëtica, rhabarbarina, aliaque acria, irritantia, & drastica.

CXLII.

Evacuatis itaque hoc modo humoribus in primis viis stabulantibus, & præmissa sufficiente detractione sanguinis, statim ad corticem confugiendum est. Debet autem præmitti venæsectio, ut exinde pulsus fiat mollior, & debilior; secus enim si pulsus perseverat inflammatorius, nimirum frequens, durus, & tensus, omnes Practici observant ex usu corticis plus detrimenti, quam emolumenti allatum iri.

CXLIII.

Unde ille status variolarum, in quo fit, aut jam exacta est earum eruptio, censendus est perquam opportunus exhibendo cortici, quia tunc febris est remissior, & ægri, cum tunc melius ha-

beant, medico magis obſequioſi eſſe ſolent

CXLIV.

Si cortex in ſubſtantia aſſumi poſſit, prævalet omni alii methodo, deberet autem duabus aut tribus illis ſecundi ſtadii diebus, antequam febris ſuppuratoria ſuperveniat, omni nychthemeri ſpatio ad minimum ad unciam unam aſſumi; aut ejus extractum ad unciam dimidiam; aut denique omni bihorio grana quinque, ſexve ejusdem ſalis eſſentialis methodo Gareana præparati.

CXLV.

Sic enim via ſternitur ad benigniorem ſuppurationem, faciliorem exſiccationem, ſquamularum cruſtarumque citiorem ſeparationem, ex quo dein alter reſultat effectus, quod hac ratione profundiores foveæ, & ulcera maligna exedentia, depaſcentia, præpediantur.

CXLVI.

Si vero quis, quemadmodum apud infantes ſæpe evenit, abhorreat internum uſum corticis; poſſet idem effectus, quamvis in remiſſiore gradu, ex ejuſdem in clyſteribus uſu expectari; ſi nimirum ejus pulveris uncia una aut altera diu in lacte, aut alio liquido emolliente decoquatur, & filtrata ſæpe injiciatur; Experientia enim oculatioribus practicis nota conſtat, hac methodo ſanari poſſe febres mali moris, ac ſi per os cortex ſumatur; adeoque idem in noſtro caſu dicendum erit.

CXLVII.

Verum illud hic annotandum habeo, quod uſui corticis peruviani interponi debeant copioſa diluentia, humectantia, antiphlogiſtica vi prædita, quæ frequenter & ea, quam ferre æger poteſt, quantitate exhiberi debent.

CXLVIII.

Aſt experientia edoctus, & Autoritate Clariſſ. Sydenhamii, aliorumque Practicorum firmatus edicere poſſum, quod inter omnia alia diluentia antiphlogiſtica primatum obtineat Hydrogala, quæ e tribus aquæ puræ partibus, & una lactis, invicem mixtis & coctis, additoque ſaccharo ad gratiam, conſtat.

Iſte potus eſt multiplici titulo omnibus aliis præferendus; eſt enim antiphlogiſticus, diluens, humectans, demulcens, acrimoniam temperans obvolvens; adeoque benigniorem, faciliorem, minusque dolorificam ſuppurationem reddens. Quemadmodum enim fomenta ex lacte partibus ſuppurandis externe applicita demulcent, leniunt, faciliorem & minus dolorificam efficiunt ſuppurationem; idem dicendum erit, ſi iſte ipſe humor ſe in minima vaſa inſinuet, eaque pervadat; foveatque.

CXLIX.

CXLIX.

Præterea vix non omnia alia diluentia difficulter cum noſtris miſcentur humoribus, facileque & ſubito e corpore per urinas ſecedunt. Hydrogala vero eſt humor, naturæ noſtræ amicus, & ideo facile, libenterque aſſumitur, digeritur, & cum noſtris humoribus miſcetur, diutiusque in corpore retinetur. Unde dein præbet materiam laudabilem ptyaliſmo, & tumori, ſymptomatibus, in variolis tam neceſſariis, ſine quibus vix aliquis adultorum evadere poteſt.

CL.

Sanctorius medicin. ſtatic. ſection. prima aphor. 81. dicit, in morbo acuto, uti ſunt variolæ, triginta circiter humorum libras diſſipari & deſiderari. Aſt quæſo, quid ergo illud eſt, quod ab attritu febrili aſſumitur, & diſſipatur? Nunquid ſunt humores inquilini roſcidi, balſamici, & ſubtiliſſimi? remanentibus acribus, ſalinis, terreſtribusque partibus,

quæ

quæ in minimis vaſis facillime reſtagnant genus nervoſum, vaſculoſumque irritant, erodunt, ad gangrænam & ſpacellum diſponunt.

CLI.

Quisque autem concipiet, quod illud roſcidum, & ſubtiliſſimum diſſipatum per ſupradictam hydrogalam facillime & appoſitiſſime reſarciatur, acre temperetur, & obvolvatur, humoreſque fluidiores reddantur, a ſtagnatione & gangræna liberentur.

CLII.

Sed dices, omnia prædicta commoda, quæ hydrogalæ adſcribuntur, ab emulſionibus ſperanda, & expectanda ſunt.

Reſpondeo ab hydrogala longis, multisque paraxangis ſuperari omnia emulſa; nam experientia nos docet, omnes emulſiones continere in ſe aliquid crudi, & flatulenti, unde fit, ut in primis viis diutius hæreant; etenim ſubtiliſſi-

liſſimum illarum aqueum principium reſorbetur ad maſſam & circulum humorum, craſſum vero & terreſtre intra rugas ventriculi, & inteſtinorum diutius moratur, corrumpitur, flatulentias, ructus, ſpaſmos & anxietates plerumque excitat. Aſt omnia hæc mala ex hydrogala pertimeſcere non poſſumus; nam hæc eſt liquidum aqua dilutum, tenuiſſimum, quod ſecundum totam ſubſtantiam facile tranſit vaſa lactea, ſicque ad circulum humorum defertur.

CLIII.

Præterea eſt liquidum fere homogeneum, noſtris humoribus analogum, facile illis miſcibile, quia illis jam mixtum erat; unde nec crudum, nec flatulentum, quia per circulationem, antequam leges ſecretionis ſubiret, jam excoctum, & per attritum utcunque unitum, ex quo fit, ut partes ejus craſſæ non tam facile

ſece-

ſecedant, & ad fundum præcipitentur, uti hoc in omnibus emulſis videmus.

Tandem hoc præ aliis liquidis commodi ex hydrogala habemus, quod in omni caſu, & quibuscunque urgentibus ſymptomatibus, ſine omni detrimento, quin imo potius magno cum emolumento in uſum vocari poſſit; ſive enim menſtrua fluant, ſive non; ſive adſit diarrhæa, ſive abſit, ſemper confert, teſte expertiſſimo Sydenhamio, micturitionem mitigat, ptyaliſmum facilem & diuturnum reddit. Alia vero eſt ratio de emulſis; quæ menſtruantibus, & diarrhæa laborantibus, ut practicis notum eſt, pernicioſa eſſe ſolent.

CLIV.

Quod vero illa, quæ de his, præcipue autem, quæ de uſu corticis dixi, longo uſu probata, illuſtriumque Medicorum repetitis obſervationibus confirmata hoc tempore habeantur præ reliquis legi poſſunt obſervationes, & epiſtola

Cla-

Clariſſimi Georgii Bayly ad Clariſſ. Pemperton ſcripta de uſu corticis peruviani in variolis. *Vide Commentar. de rebus in ſcient. nat. & med. geſtis Tom. III. pag. 7.*

CLV.

Expertiſſ. Alexander Monro, Profeſſor Edenburgenſis per diverſa capta experimenta probat, oſtenditque, corticem non tantum in gangræna, & ſphacelio, ſed etiam in variolis eſſe ſpecificum remedium: *Vide acta Edenburgenſia in germanicum verſa Tom V. part. I. pag. 109.* Idem ſentit Richardus Morton in tractatu de variolis, aliique plures celebres Practici.

CLVI.

Sed unus pro omnibus ſua autoritate conſummataque experientia valet Eruditiſſimus, & Magnificentiſſimus Cæſareus Archiater D. de Haen, cujus elegantiſſima opera hic typis data quisque hac de re conſulere poterit.

Nunc ordine ſequerentur paregorica, eorumque tam deprædicatus in variolis uſus, exponendus; verum opportunior erit occaſio de his ſectione ſequente, dum ſymptomatum curationes tractabimus, differendi.

CLVII.

Quare, cum prognoſim judiciumque de natura, & indole variolarum ex illis potiſſimum, quæ faciem occupant, deſumere ſoleamus, debemus in primo, & ſecundo variolarum ſtadio eſſe ſolliciti, ut illæ magis ad partes inferiores alliciantur, & determinentur; hoc autem aſſequemur, ſi clyſmata emollientia ſæpius injiciantur, ſi pediluvia cum lacte, aut cum incoctione ſpecierum emollientium adhibeantur; quibus efficiemus, ut cutis aſpera, & tenſa præcipue partium inferiorum una cum ejusdem vaſis emolliatur, & laxetur; ex quo fiet major impetus & niſus humorum ad has partes

mi-

minus resistentes, variolarumque ibidem major proventus.

CLVIII.

Ex eodem fundamento, judico, non absonum fore, si adulti variolis laboraturi, aliquoties simili emolliente balneo toto corpore utantur, ut non tantum facilior fieret variolarum expulsio, sed & benignior suppuratio. Neque enim fundamentum aliquod in contrarium novi, excepto quorundam hominum præjudicio; præcipue si ætas, viresque ægroti tale balneum ferre possint, & si ægri statim post balneum ad lectum, & udorem se componant.

CLIX.

Ex veterum Medicorum monumentis notum est, quam frequens, quam proficuus fuerit in diversis, sed præcipue acutis morbis, balneorum emollientium usus: hæc apud Hippocratem, Galenum, Lælium Aurelianum, Arætaum,

Celſum, & Trallianum videri poſſunt; cur autem in morbo acuto varioloſo balneorum uſus non etiam admittatur, non video.

Sic Clariſſ. Varnier variolas retropulſas, optime balneis ad ſuperficiem corporis revocare ſolebat. Vide Comment. de reb. in med. geſtis vol. VII. pag. 478.

CLX.

Ex obſervationibus Sydenhamii datur quædam ſpecies variolarum malignarum, quæ ſtatim ſub ſui initium Gangrænoſam indolem præ ſe ferunt; nam nigredine fuliginem repræſentant, fœtorem intolerabilem ſpargunt, unde tales variolæ denotant ſummum putredinis gradum; ſanguis in ſimilibus caſibus non eſt ſpiſſus, tenax, ſed diſſolutus, diffluens vix cohærens. Quare evenit, ut ſuis vaſis vix coerceri valeat, ſed vel per urinam, vel per alvum, ſputum, vomitum, aliamve viam una cum anima exi-

tum

tum sibi paret. Talis epidemia variolarum maligna erat 1574. in insula Rugia, & vicina urbe Stralsundia, ubi detractis crustis subjecta caro putrida, & gangrænosa apparebat.

CLXI.

In similibus funestis casibus spiritus vitrioli unicum videtur superesse remedium, quod ad gratam aciditatem decoctis julapiis, aliisque liquoribus posseticis misceri, & in usum vocari debet. Eadem est observatio Expertiss. Joan. Huxham de annis 1737. & 1738. cujus hæc sunt verba: *In epidemicis parvis, atris & gangrænosis variolis optima sunt subaustera, cortex peruvianus, elixirium, aut spiritus vitrioli.* vid. comment. de rebus in scient. nat. & med. gestis vol. II. pag. 522.

CLXII.

Hæc, quæ hucusque de variolarum tam benignarum, quam malignarum curatione attuli, sunt hoc tempore vix

non ab omnibus sanioribus Medicis practicis recepta, & approbata; supersunt tamen adhuc quædam aliquorum non contemnendæ variolas tractandi methodi, quas brevitate, qua par est, pertractabo.

Sic cum quidam Medicorum oculatiores vidissent, quod quandoque variolæ præcipue malignæ, quacunque ex prædictis methodo tractentur, difficulter, aut plane non ad felicem perducantur exitum, inceperant cogitare, & experiri, quid remedia mercurialia in similibus malignis epidemiis efficere valeant. Hæc methodus fundatur in nostris de contagio principiis, ubi ostendimus, mercurialia remedia esse generalia, & specifica anthelmintica, adeoque hæc convenire debere in omnibus morbis, putridis malignis, exanthematicis, ut petechiis, miliaribus, variolisque malignis.

CLXIII.

CLXIII.

Sic in febribus malignis Brandelii epidemice graſſantibus Joſephus Benevenutus mercurium cum cortice peruviano mixtum tanquam ſpecificum remedium deprædicat in epiſtola ad Bartholomæum Beccarium, ubi ex ducentis ægris febre maligna laborantibus, & prædicta methodo tractatis nullus deſiderabatur. Vide comment. de rebus in ſcient. nat. & med. geſtis vol. V. pag. 668.

CLXIV.

Sigiſmundus Graſſius multis captis experimentis obſervavit, mercurium uti malignarum febrium, ita vel maxime variolarum eſſe ſummum alexipharmacum; quemadmodum in obſervatione LVI. ita effatus eſt: *Multi damnant mercurium in variolis, ſed cenſura nimis rigoroſa, non enim reſpondet ejusmodi maledictis experientia.* Vide miſcellan. curioſ. med. Phyſica Acad. nat. curioſ. Ann. tertii, pag.

 93.

93. Idem ibidem pag. 13. sensit Franciscus Bouchardus observatione IX. de mercurii dulcis in variolis usu. Item Clariss. Bohnius dicit, perfectam variolarum curam in antimonio, & mercurio consistere. Idem experti sunt Clarissimi Fortunatus Bianchini, & Joan. Baptista Moreale, aliique plures Celeberrimi Practici, ut videre est in comment. de rebus in scient. & med. gestis, volumine Xmo pag. 237. aliaque plura legi possunt in nostro tractatu de contagio.

CLXV.

Videtur tamen apud hos, aliosque celebres viros in modo mercurium adhibendi magna intercedere differentia; aliqui enim utuntur mercurio vivo depurato cum syrupis aut conservis in bolos redacto; alii confidunt in æthiope minerali, ut Loob, vide der medicinischen Versuche einer Gesellschaft zu Edinburg ersten Band. pag. 456.

Alii

Alii vero mercurium dulcem, aut decoctionem mercurii vivi omnibus aliis præparationibus præferre solent. Unde fit, ut ex tot & diversis opinionibus obscura, & infida oriatur medendi methodus, alii enim præjudiciis, alii propriis fictionibus, novitate rerum potius, quam naturæ nutu reguntur, vili pendentes laudabile consilium magni Verulamii, dicentis: *Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum, quid natura faciat, aut ferat.*

CLXVI.

Si tamen de usu mercurii in variolis meam debeam aperire palamque facere opinionem, judico experientia edoctus, abstinendum esse a mercurio, qui humoribus nostris misceatur, & cum iisdem per vasa moveatur; nam cum mercurius in pondere ad nostros humores se habeat, ut unum ad 13. circiter, debet necessario contingere, ut minima & tener-

rima vaſa dilaceret, ſeque in unam, alteramve nobilem corporis partem effundat, eamque lædat; unde dein periculum majus & mors inevitabilis oriri ſolet.

CLXVII.

Quapropter, ſi mercurium dulcem cum aliis purgantibus mixtum propinemus, debet iſte in majores portiones, ſeu ut dici ſolet groſſo modo diviſus, aut contuſus exhiberi ad hoc, ut fere integra mole per inteſtina feratur, ſicque per alvum egeratur. Continget tamen, ut liquor gaſtricus, bilis, ſuccus pancreaticus, aliaque liquida ingeſta, aliqua virtute anthelmintica imbuantur, quam dein, dum aliis humoribus circulantibus miſcentur, communicant eiſdem. Hoc videmus, quod mercurius in aqua digeſtus, decoctus aut methodo Gareana trituratus liquidis virtutem vermifugam conciliet, & communicet, adeoque idem in noſtro corpore contingere debere nullus dubito.

CLXVIII.

CLXVIII.

Gundelsheimerus illuſtris quondam Medicus, Regiusque Boruſſicus Archiater aliam adoptarat variolas curandi methodum, quæ ab omnibus aliis quoad quid eſſet diverſa; propinabat nimirum variolis laboranti, ſingulis alternis diebus medicamentum emetico-catharticum, quod e tartaro emetico, manna, aut caſſia compoſitum erat. Hoc fere unico remedio, & regimine moderatiſſimo, ſepoſitis omnibus aliis artificiis ſuos tractabat ægrotos.

CLXIX.

Clariſſimus Stahlius ſuo jam tempore ſingula hujus methodi momenta ſollicite & exacte excuſſerat, ut vix aliquid ultro deſiderari poſſit. Interim ſi familiaria quædam variolis ſymptomata intimius conſideramus, emeticam prædicti remedii vim haud approbare poſſumus; notum enim eſt, deliria, & deglutitionem difficilem familiaria eſſe vario-

la-

larum ſymptomata, multumque negotii ægris faceſſere. Verum unusquisque a ſtudio partium alienus facile cognoſcet, quantum hæc duo ſymptomata a prædicto emetici niſu ſuperiora verſus augeantur, ut exinde plus detrimenti timendum, quam emolumenti ſperandum ſit.

CLXX.

Aliud autem dicendum eſt de leni evacuatione per alvum debito tempore, & debito modo inſtituta; nam hæc effectum fere priori emeticæ evacuationi contrarium exerere ſolet, niſum enim & motum humorum, qui ad partes ſuperiores tendit, ad inferiora determinat, ex quo dein ſperare poſſumus, fore, ut cerebrum & fauces a ſuo onere liberentur, phrenitica illa diſpoſitio diſſipetur, & deglutitio liberior reddatur.

CLXXI.

Hanc ipſam ſemitam felici eventu ſecuti ſunt plures illuſtres in arte medica Viri: Clariſſimus Joan. Freind expertus

eſt.

eſt ſecundos effectus ex purgantibus in ſecundaria confluentium variolarum febre, uti apud eundem videre eſt.

Sydenham ipſe in ſchedula monitoria eſt ejusdem opinionis, aſſeritque ibidem: *duro huic nodo durum cuneum aptandum eſſe*. Idem legi poteſt in libello : legs d'un ancien Médecin à ſa Patrie pag. 137.

Verum omnium optime nos propriis & repetitis obſervationibus docuit Eruditiſſimus Thomas Simſon, qui indefeſſa ſua induſtria expertus eſt, quod delirium in variolis, ſi paſſim recepta methodo copioſis paregoricis tractetur, augeatur, & æger exinde in pejus ruat, a laxantibus vero antiphlogiſticis quam optime abigatur, & ſopiatur. Nec obſtare videntur dicta Hippocratis de morbis popularibus: *mortuus eſt, quia purgatus eſt.*

Nam hic intelliguntur purgantia acria, draſtica, veteribus uſitata, non vero lenia laxantia antiphlogiſtica, de quibus hic eſt ſermo. CLXXII.

CLXXII.

Supereſt; ut quam breviſſime attingamus methodum, qua Arabes, aliique primi de variolis Scriptores, eaſdem tractabant. Hæc videtur maximam partem conſtitiſſe in lentibus, lacca, tragacanto, diverſis acidis, opio. Sic Syrupus Avicenæ ad variolas conſtat ex ſucco foliorum papaveris viridis, & ſucco citri. Quæ cum ſint demulcentia, obvolventia, leniterque pellentia, nihil abſoni in ſe continent.

CLXXIII.

Poſt Arabes medicos apprimus fuit Bayrus, qui 1542. variolas Auguſtæ Taurinorum accuratiſſime deſcripſit, & quam appoſite tractavit; nam remediis temperantibus, diluentibus antiphlogiſticis, & venæſectionibus totum negotium abſolvit, ut hoc tempore vix aliquid ſuperſit addendum. Hic aliquid dicendum eſſet de quarto, & ultimo ſtadio vario-

la-

larum, ſeu de earum exſiccatione; quia vero, qui attigit hunc ſtatum, jam in vado eſſe plerumque dicendus eſt, incommoda, quæ hic perſentiuntur, ad ſymptomata reducimus, de quibus ſectione ſequente tractabimus.

CLXXIV.

Pro coronide hic mentio facienda eſt de inſitione, & inoculatione variolarum adeo decantatis. Hæc artificialis variolas propagandi methodus, primam debet ſui originem Circaſiis, Armeniis, Græcis, aliisque orientalibus populis, quæ dein in Europam invecta a multis in cœlum usque extollebatur, a multis vero vituperabatur; unde factum eſt, ut pro & contra acerrime, & argutiſſime ad hanc usque diem decertatum fuerit; quemadmodum nuperrime inter Eruditiſſimos Viros: Magnificum Dominum Archiatrum de Haen, & Dominum de Tiſſot hac de re litem ortam & inſigni erudi-

ditio-

ditione, magnoque candore in utramque partem propugnatam, novimus.

Abſit, ut audeam inter hos, alioſque Viros, eruditione, experientiaque claros quidquam determinare, arbitrumque agere.

Adeoque proponam tantummodo ſpeciales difficultates, quæ ex noſtris de contagio principiis contra hanc artificialem variolas propagandi methodum pugnare videntur.

CLXXV.

Notum eſt hoc tempore omnibus, præcipue vero topiariis, vegetabilium evolutiones artificialiter accelerari poſſe; idem effici poſſe in animalibus, præſertim in inſectis, nos docuit indefeſſæ induſtriæ Celeb. Raimarius in ſuo pretioſiſſimo Tractatu de inſectis gallice edito. Unde mirum non eſt, ſi etiam variolas per inſitionem accelerare poſſimus, cum ex noſtris principiis hæ ipſæ habeant pariter, ut vege-

geta-

getabilia & animalia, ſua propria ſeminia.

CLXXVI.

Verum experientia nos docet, omnem præmaturam evolutionem longe inferiorem eſſe illa, quam natura debito tempore inſtituit, adeoque non eſſe ita perfectam, & abſolutam.

Ad hoc vero inſitionis Patroni oggerere ſolent; quod experientia cuilibet obvia conſtet ſeminia terræ mandata ſylveſtres & auſteros proferre fructus; quod vitium dein inſitione aut inoculatione emendari & corrigi poteſt. Adeoque inſitione & inoculatione videntur res potius perfici, & emendari quam labefactari. Verum manum de tabula; etenim jam diximus, hæc non eſſe noſtri propoſiti.

CAPITIS IV.

SECTIO II.

De curatione symptomatum, quæ in variolis observari solent.

CLXXVII.

Vix assignabile est symptoma, quod non quandoque variolis jungatur. Unde satis erit meminisse eorum tantum, quæ variolas concomitari, aut subsequi plerumque consueverunt.

Symptomata autem, quæ eruptionem variolarum præcedere solent, mitigantur diluentibus, emollientibus nitratis, aliisque antiphlogisticis jam superius recensitis; item pediluviis, clysmatis emollientibus; aut etiam, si febris exigit, venæsectionibus; nam superveniente dein variolarum eruptione, symptomata gravissima, ut vomitus, convulsiones, deliria mitigantur, aut plane abiguntur, quem-

quemadmodum jam ſuperius dictum fuit, neque enim reſtat hic quidquam ultro adjiciendum.

CLXXVIII.

Verum altioris ſunt indaginis illa ſymptomata, quæ eruptionem & ſuppurationem concomitantur, aut ſubſequuntur; etenim facta jam variolarum expulſione nihilominus quandoque convulſiones, inquietudines, anxietates perſeverant, quæ denotant, materiam exanthematicam purpuraceam, aliamve adhuc in corpore latere.

CLXXIX.

In ſimili caſu, ſi omnia prædicta remedia CLXXVII. jam in uſum vocata fuerint, nihil ſupereſt, quam, ut medicus epiſpaſtica præſtituat, quæ materiam peccantem a centro ad peripheriam corporis avocent. Interea vero copioſis diluentibus, & antiphlogiſticis quam diligentiſſime inſiſtendum eſt.

CLXXX.

Quia vero tales variolæ ad malignas reduci debent, antiſeptica, ſpecifica, ut cortex peruvianus, in uſum vocanda ſunt, ut ſuperius §. CLIV. jam diximus

CLXXXI.

Diarrhæa, ſi non excedat modum, intacta relinqui debet; ſi vero nimium urgeat, ut vires exinde deficiant, ſicque obſtet, quo minus variolarum debita eruptio, ſuppuratio, uti & faciei, manuum, pedumque neceſſarius ſubſequatur tumor, tunc debet appropriatis remediis tractari. In tali enim caſu ſignum eſt aut aliquam materiam acrem in tractu inteſtinorum hærere, aut eundem inteſtinorum tractum a variolis obſitum eſſe; a quibus cauſis dein perpetua inteſtinorum irritatio, ſtimulusque derivari debet; uti hoc clare videmus in illis variolis, quæ fauces occupant.

CLXXXII.

CLXXXII.

Quare in ſimili caſu conveniunt omnia, quæ demulcent, leniunt, acre abluunt, leniterque roborant; unde clyſmata emollientia ex decocto radicis Althææ, ſeminum Lini, cydoniorum, pedum vervecinorum cum gummi Arabico, & Theriaca veneta optima ſunt.

Interne vero decoctum album, aut hydrogala cum lacte chalybeato præparata; aliaque ſimilia cum paregoricis omnem abſolvunt paginam.

CLXXXIII.

Si vero tanta ſit humorum colliquatio, ut omnia prædicta remedia imparia ſint huic urgenti tollendo ſymptomati, tunc ſpecificum remedium expertus ſum in ſpiritu vitrioli, aut ſulphuris per campanam, qui in diverſa formula, prout ægro magis arridebit, præſcribi poterit.

CLXXXIV.

Aſt idem hoc remedium, & ex eadem cauſa plurimum valet & in illo caſu, ubi ſudoribus videtur diffluere æger, & nec ab hydrogala ſero lactis, emulſis paregoricis, aliisque ſimilibus auxilium aliquod experitur. In ſimili caſu æger refrigeratur, & refocillatur ex jam dicto remedio.

CLXXXV.

Eſt vero aliud, & quidem periculoſiſſimum ſymptoma, ubi ſanguis diſſolutus, & quaſi colliquatus, ut dictum eſt §. CLX. ſuis vaſis coerceri nequit, ſicque per diverſas vias, nimirum vel per ſputum, per urinam, aut per alvum ſecedit; in hoc caſu debent non tantum prædicta demulcentia, & humores incraſſantia, ſed præterea ſpiritus vitrioli in uſum vocari, ſecus enim in ſimili deſperato caſu vix aliquid boni ſperandum reſtat.

CLXXXVI.

Ratio hujus aliorumque supradictorum ex effectibus, quos spiritus vitrioli in nostro corpore exerere solet, desumi debet; nam febrilem motum mitigat, humores dissolutos aliquantum compaginat, compingitque, vasa laxa hiantia, aut aperta firmat, ut impetui humorum magis resistere possint. Hæc, quæ assero, præter alios confirmat Clarissimus Allen in synopsi universæ medicinæ practicæ capite X. Articulo LXVII. dicens: *Spiritus vitrioli, vel ejusdem oleum in aqua simplici instillatum in hæmorrhagiis periculosis est extremum remedium, & raro fallax.*

CLXXXVII.

Hæc itaque intelligi debent de hæmorhagiis, quæ a prædicta causa, nimirum ab humoribus dissolutis dependent. Adest vero in variolis sæpe alia hæmorrhagiæ species, quæ a nimio humorum motu, eorumque orgasmo dependet; in

quo casu vasa, præsertim minima, nimium distenduntur, & a fortioribus systoles & diastoles ictibus nimium atteruntur, ex quo fit, ut oscula eorum facile aperiantur, aut rumpantur; sicque sanguis sæpe una cum anima exitum quærat.

Talis hæmorrhagia contingere solet in prima illa ebullitione, quæ variolarum expulsionem præcedere solet; aut tempore suppurationis; quia his temporibus adest summus humorum orgasmus, febrisque, quam de inflammatoria indole participare diximus.

CLXXXVIII.

In hac hæmorrhagia, nisi sanguis in sufficiente quantitate mittatur, remediis, quibuscunque pharmaceuticis nihil efficies; venæsectione vero præmissa ex remediis antiphlogisticis, & paregoricis multum sperandum restat.

Si vero neque ex his resipiscat æger, tunc ad prædictum spiritus vitrioli remedium

dium, aut ad ufum aluminis methodo, & confilio Eruditiffimi Helvetii, confugiendum erit.

CLXXXIX.

Delirium, phrenefis funt duo periculofiffima fymptomata, quæ variolis præfertim malignis fæpe adjunguntur. Si hæc in primo variolarum ftadio, nimirum ante earum eruptionem adfint, tantum periculi non portendunt; quia peracta & completa eruptione mitefcunt aut evanefcunt.

Aft multo majoris funt momenti, fi tardius, nimirum tempore fuppurationis, aut pofterius, dum febris fecundaria accenditur adveniant; fignum enim eft in tali rerum ftatu, aut vafa cerebri inflammata effe aut cerebrum genusque nervofum a materia exanthematica occupari; unde dein convulfiones, gangræna, morsque metuenda funt.

CXC.

Quapropter in ſimili periculoſo ſtatu, ſi febris urgeat, debet prius ſufficiens ſanguinis quantitas detrahi, uti hoc jam probavimus, & diverſis obſervationibus confirmavimus §. CXXXVI. & CXXXVII. Dein debent diverſa clyſmata emollientia injici, item ſuperius jam adducta antiphlogiſtica in uſum vocari; debet præterea capillitium abſcindi, aut radi, ut caput magis tranſpirare poſſit; item debet æger ex conſilio Sydenham electo eximi; tandemque debent veſicantia partibus inferioribus applicari, & capiti raſo columbæ vivæ recens cultro in duas æquales partes diviſæ, & naturali adhuc calore præditæ, apponi, ſæpiusque renovari.

CXCI.

Quod vero veſicantia concernit, generaliter & probe notandum velim, ne unquam fervente febre, niſi prius ſufficiens ſanguinis quantitas detracta fuerit, appli-

applicentur, secus hæc febrilem motum, inflammationem, & periculum augent.

CXCII.

Si vero omnia hæc non ad vota medentis, & ægrotantis cedunt, phrenesisque pertinaciter perseveret, Sydenham spiritum vitrioli suadet; dicitque Capite II. quod in febrium continuarum phrenesi sit specificum remedium, cujus verba de febribus continuis annorum 1670. 4, 5. & de phrenesi his febribus superveniente, hæc sunt: *Inducias non tulit symptoma hoc, ægrum intra paucos dies tollebat, nisi inflammatio cohiberetur; atque hic mihi suppetias tulit præ aliis spiritus vitrioli post venæsectionem adhibitus, qui intra paucos dies & somnum conciliabat, & sanitatem ægro reddebat; quod nulla methodo efficere valebam; atque hoc reiterata sæpe experientia mihi abunde constabat.*

Si itaque in phrenesi febrium continuarum epidemicarum tantas, ut audi-

vimus, habet vires, cur easdem non exerat in phrenesi variolarum epidemicarum non video. Quod mihi vestigia solertissimi Sydenhamii terenti aliquoties ad vota cessit.

CXCIII.

Præterea judicat Sydenham, ut passim in ejus operibus legere est, copiosis paregoricis prædicta duo symptomata optime compesci & subjugari posse.

Sed Clariss. Thomas Simson Celeberrimus medicinæ Professor evidentibus experimentis, & repetitis observationibus ostendit, quod quo plus in simili casu paregoricis utuntur ægri, eo magis delirent, & obtundantur; unde observavit, in tali casu optima esse lenia purgantia antiphlogistica; quia hac ratione motus humorum ad partes inferiores magis determinatur. Exacta vero purgantis operatione, paregorica ad motus excitatos compescendos optima esse. Vide

acta

acta Edenburgensia in germanicum versa, volum. V. part. 2. pag. 762.

CXCIV.

Et sane hæc ipsa methodus respondet illis, quæ Clariss. Freindius in secunda, seu putrida variolarum febre expertus est, nobisque in suis scriptis communicavit.

Quin imo ipse Sydenham, sed sat sero, nimirum jam senex videtur hac in re primo sapuisse, nam in sua schedula monitoria dum de variolarum febre putrida seu secundaria agit, ingenue fatetur, quod quandoque circa finem variolarum a materia purulenta variolosa ad sanguinem resorpta sanguinis orgasmus ita supra efferatur, ut æger ad incitas redactus animam mox acturus videatur, nisi statim venæsectione, purgatione, & tandem paregoricis obviam eamus, & reliqua, quæ ibidem in extenso legi possunt.

CXCV.

CXCV.

Ex quibus patet, neque enim credo necesse esse, ut ultro, & separatim agamus, quid in illa adeo periculosa secundaria variolarum febre agendum sit.

Interim unicum restat, ut indicem methodum illam, qua Eruditissimus Dominus Varnier magno cum fructu utebatur, ut funestam hanc febrem secundariam averteret; sicque facile & feliciter variolas etiam malignas ad finem perduceret. Res est tanti momenti, ut peropportune facturus mihi videar, si ea adduxero, quæ in Comment. de rebus in scient. nat. & med. gestis vol. VII. part. 1. pag. 478. habentur. *In variolis confluentibus pone aures in nucha, femoribus, & cruribus vesicatoria bono cum successu adhibuit. Cum autem tam in variolis confluentibus, quam ipsis discretis a pure resorpto febris sic dicta secundaria persæpe oriatur, hæcque haud raro ægrotantes e vi-*

vis

vis tollat. Noster (id est Clariss. Varnier) ideo, quo cuncta funesta symptomata evitentur, pustulas ope instrumenti cujusdam aperiri jubet. Optime enim rem successisse, atque febrem secundariam non solum impeditam, verum & ægrotantes optime tunc visos fuisse, perhibet. Hincque omnibus hanc methodum commendat. Sed hic monendum est, quemadmodum Eruditissimus Dominus de Haen quam sapientissime annotavit, quod pustulæ semel apertæ sæpius aperiri, & a pure, quo statim readimplentur, liberari, ablui, & abstergi debeant. Sic enim impedimus, ne pus ad sanguinem transeat, aut in, & sub cute in membrana cellulosa diutius hæreat; adeoque nec foveas profundas, nec ulcera depascentia efformet.

CXCVI.

Symptoma, quod lotium seu urinas concernit, duplici & quidem opposita ratione affligere potest; vel enim solito

sæ-

ſæpius nimiaque quantitate, quaſi diabetice redditur, ut contigit in dicta epidemia vide XLVII. Unde dein variolarum elevatio,plenitudo, ſuppuratio,debitusque tumor, & rubor impediuntur. Si enim tardius, nimirum in quarto ſtadio ſuperveniat, nihil mali portendit, ut jam ſuperius demonſtratum eſt.

Talis micturitio denotat, a materia acri exanthematica, aut etiam a variolis veſicam, renes, ureteres, aut etiam plexum renalem, occupari, & perpetuo irritari.

CXCVII.

Quare in ſimili caſu omnia ſupradicta demulcentia, paregorica, quin imo appropriata antiſeptica, ut cortex peruvianus, apprime conveniunt. In caſu vero extremo ſpiritus vitrioli, ut ſuperius jam dictum eſt, omnibus aliis præferri debet.

CXCVIII.

CXCVIII.

Alter vero casus, ubi urina plane supprimitur, plerumque dependet etiam a frequentibus variolis sed sphincterem, uretramque vesicæ, aut etiam substantiam renum tubulosam occupantibus, a quibus dein prædictæ partes ita tument, ut nec libera urinæ secretio, nec excretio succedere possit.

Aliquid simile videmus fieri a variolis, quæ fauces, quin imo aliquando tractum arteriæ asperæ, & æsophagi obsident, a quibus prædictæ partes ita tument, ut non tantum laboriosa & difficilis deglutitio, sed & respiratio affligat.

CXCIX.

In simili casu sapiens est Sydenhamii consilium, ut æger e lecto eximatur, & adstantium manibus suffultus cubiculum bis, terve circumambulet; sic enim mox tam magnam urinæ quantita-

tem reddet, quæ omnibus, diu recticorum tribubus in auxilium vocatis, accersiri non poterit. Ratio effectus est, quia urina ipsa, præsertim, si in vesica hæreat, propria sua gravitate sibi exitum quærit.

CC.

Si vero præ debilitate æger lectum deserere non valeat, aut forte adstantes, præjudiciis capti, admittere nolint, debent fomenta, uti sacculi, speciebus emollientibus repleti, in lacte cocti, expressi & calidi, illi parti, ubi causa latet, applicari. His sacculis substitui potest vesica suilla decocto emolliente aut lacte ad medietatem repleta, & parti affectæ apposita. Item, si non major effectus sperari potest ex milio cum lacte in pulticulam cocto, & parti affectæ superimposito, clysmata emollientia injecta præbent vesicæ idem fomentum interne, quod alia supra dicta externe. Huc etiam spectant diversa interna diluentia,

&

& lenia diuretica, ut ſpecies de althæa fernelii, & reliqua ex materia medica eruenda.

CCI.

Si tamen omnia hæc ſuo effectu fruſtrentur, & urina, ut fere ſemper fieri ſolet, in veſica hæreat, tunc debent appropriatæ candelæ, ex cera, & gummi arabico aliisque præparatæ, per uretram in veſicam uſque immitti, quarum defectum catheter ſupplere poterit; unde dein libera urinæ via, absque omni alio artificio efficietur.

CCII.

Superius jam diximus, quod puſtulæ variolofæ, quæ tumidæ elevatæ, & circulo rubro donatæ ſunt, bonas notas præ ſe ferant; ſi vero pallidæ, depreſſæ maneant, ſi interſtitia earum, uti & facies, manus, pedesque minus tumeant, minusque rubeant, timendum eſſe, ne illa ipſa cauſa materialis, quæ prædi-

ctum tumorem, & ruborem constituere deberet, viscera interna occupet, gangrænam, mortemque afferat.

CCIII.

In simili casu aliqui Practicorum mox confugere solent ad cardiaca, calida, & volatilia, sperantes fore, ut prædictam materiam morbificam hoc modo a centro ad peripheriam pellere possint. Verum experientia Sydenhamii, aliorumque docuit, exinde prædictam materiam morbificam potius ad cerebrum quam ad peripheriam determinari; unde dein phrenesis, convulsiones, morsque acceleratur.

CCIV.

Qua etiam ex ratione Clariss. Sydenham alia expertus est remedia, quæ suis indicationibus, votisque magis responderent; talia erant præter ordinaria antiphlogistica, etiam copiosa paregori-

ca

ca, ex quorum aſſiduo uſu dicit tumorem, & ruborem in variolis reſuſcitari.

CCV.

Ego vero, quod obſervando didici, candide afferam; nimirum, quod quidem ex propinatis copioſis paregoricis plerumque prædictus tumor augeatur; quia multum eorum, quæ diſſlari, tranſpirare, ſecerni, & excerni deberent, ab uſu paregoricorum ſolito diutius in corpore retinetur; unde aucta in corpore humorum mole mirum non eſt, ſi etiam tumor augeatur. Verum quia ex eadem ratione motus in corpore pariter languent, timendum eſt, ne cauſa morboſa in aliquo nobilium viſcerum ſedem figat, exinde non amplius dimovenda.

CCVI.

Quapropter in ſimili caſu præter prædicta paregorica, & antiphlogiſtica curo applicari veſicantia; item a cardiacis calidis volatilibus abſtineo quidem, his etiam ſubſtituo, & præſtituo talia, quæ ſul-

phure volatili anodyno conſtant; qualia ſunt : v. g. flores ſambuci violarum, primulæ veris, chamæmillorum; item crocus ſaſſafras & aliquando camphora, aliaque ſimilia plura, quæ infuſa decocta, aut alia forma propinari poſſunt. Ab his enim humores attenuantur, fluxilesque redduntur, & lente, non violente commoventur, ſicque a centro ad peripheriam pelluntur; unde dein major prædictarum partium tumor, & rubor exurgit.

CCVII.

In illo vero caſu, nimirum tempore ſuppurationis, ubi variolæ in facie, manibus & pedibus debito tument, & earum interſtitia valde rubent, fit ingens dolor, ardor, & tenſio iſtarum partium; in hoc inquam caſu debemus tam interne quam externe ſuppetias ferre, ut dolor, ardorque leniantur, tenſio vero laxetur. Jnterne igitur conveniunt omnia

ſupradicta antiphlogiſtica, & paregorica. Externe vero fomentationes calidæ, vel potius tepidæ ex ſpeciebus emollientibus cum vel ſine lacte. Meæ intentioni, ægri commodo optime ſoleo ſatisfacere, ſi ſpongia ad hoc munus adoptata prædictæ decoctioni intingatur, exprimatur, ſæpiuſque partibus dolentibus apponatur.

CCVIII.

Quantum vero iſtæ fomentationes emolumenti, & levaminis afferant, cognoſcere poſſumus ex illis variolis, quæ fauces occupant, quæ, quia ſaliva, aliiſque liquidis ingeſtis continuo fomentantur, & emolliuntur, flaccidæ fiunt, neque ad illam, prout in illis fit, quæ externum corporis habitum occupant, deveniunt ſuppurationem.

CCIX.

Quare ordo exigit, ut de illis agamus incommodis, quæ variolæ fauces occupantes afferre ſolent. Princeps au-

tem incommodum eſt illa difficultas, quæ in deglutitione percipitur. Hæc lenitur per gargariſmata ex diverſis emollientibus, & mucilaginoſis, ut malva althæa hordeo, avena & ſimilibus addito nitro, & melle roſarum. Ex quibus ſi neceſſitas urget, etiam injectiones fieri poſſunt.

CCX.

Huc etiam ſpectat ptyaliſmus, qui circa diem undecimum morbi bene obſervandus eſt. Eſt ſane mirabile ſymptoma, quod non tantum adultis, ſed aliquando etiam junioribus; item non tantum in confluentibus, ſed aliquando etiam in diſcretis præcipue anomalis variolis ſupervenire ſolet.

CCXI.

Quin imo non tantum in variolis, ſed in aliis etiam caſibus abſque omni arte, ſolis naturæ motibus, excitata obſervatur ſalivatio; ſic in fœminis, quæ hy-

ſte-

ſtericis ſæpe laborant affectibus, ſalivationem, quaſi mercurium aſſumpſiſſent, ſæpe vidi. Item ſalivationem, quæ odontalgiæ familiaris eſt, omnes noverunt.

CCXII.

Præterea legimus ſalivationem ſpontaneam epidemice quandoque graſſari in Act. Nat. Cur. Cent. I. obſ. 137. pag. 277. Neque enim in hoc ſpecialis difficultas videtur ſupereſſe; ſi enim conſidero, quod ſalivatio ſe habeat uti coryza, quæ a certa inclementia atmoſphæræ membranam adipoſam afficiente dependere poteſt; non miror, ſi ſalivatio, ex eadem aut aliqua ſimili ratione epidemice graſſari, & affligere poſſit.

Sic obſervavit Sydenham ſalivationem epidemicam in febribus continuis epid. Annorum. 1667. 1668. & 1669.

CCXIII.

Adeoque quandocunque fit prædictus humorum ad fauces affluxus succedere poterit ptyalismus, quando vero humores minus transpirant, ut in variolis plerumque contingit, fiet major humorum affluxus, vel ad alvum, unde dein in infantibus diarrhæa, vel ad fauces, unde salivatio derivari debet. Quod ultronee observationibus constat, a suppresso manuum sudore ingentem salivationem successisse. Vide Breßlauische Geschichte obs. 36. pag, 727.

CCXIV.

Multi clarique in arte medica viri judicant, quod illud, quod ptyalismo excernitur, sit illud ipsum pus, quod variolas, earumque interstitia occupat; sed falluntur, sit dicto venia; quia illud, quod ptyalismo excernitur, nunquam aliquas materiæ purulentæ notas præ se ferre observavi, data enim opera examinavi sæpius,

pius, aſt ſemper inveni, quod quisque ſedulus, candidusque indagator confirmare poterit, materiam, quæ in variolis ſalivatione excernitur, eſſe plus minusve viſcidam, tenacem, inodoram, & inſipidam; denique in omnibus illi, quæ in corrhiza excernitur, ſimilem; ſed quis medicorum, talem materiam pro purulenta habebit? Experientia enim habemus, quod omnis materia parulenta diffluat, fœteat, partesque, quas occupat, arrodat, & exulceret, quod in noſtro caſu alienum eſt.

Hucusque conſideravimus naturam ptyaliſmi, ſupereſt, ut eundem conſideremus, in quantum in variolis ægros alleviet, aut eos aggravet, lædat, quin imo ſæpe perdat. Si ſalivatio facile, ſine magno labore, debitaque quantitate, nimirum nychthemeri ſpatio ad libram unam, alteramve procedat, videtur vota Medici, & ægri explere. Hoc autem

tem obtinemus, si diluentia & antiphlogistica debita quantitate assumantur; inter quæ principem locum obtinere hydrogalam, superius jam probavi.

CCXVI.

Si tamen non obstantibus prædictis diluentibus copiose assumptis salivatio non rite procedat, sed cum malis ægri rebus die undecima, aut etiam tardius derepente sistatur, tunc æger fit inquietus, anxiosus, respiratio fit difficilis, vox evadit rauca, clangosa, mensque labans, quæ omnia indicant, materiam salivationi inservientem ad nobiliora viscera, ut pulmones cerebrumque raptam esse. In quo casu nisi tumor manuum, pedumque augeatur, de ægro conclamatum esse, experientia docet.

CCXVII.

Unde in simili casu indicationes, sunt ut prædicta materia morbifica nobiliora viscera petens, dissipetur, & ad partes mi-

minus nobiles avocetur. His indicationibus satisfacimus clysmatibus vesicatoriis, etsi pulsus sit fortis, venæsectionibus.

CCXVIII.

Si vero pulsus sit debilis, & celer, quemadmodum sæpe contingit, absit omnis venæsectio; quia in simili casu mors jam præ foribus est; ne medicus videatur interfecisse illum, quem sors ipsa interemit.

CCXIX.

In similibus autem casibus analeptica præstituere debemus, quibus etiam alia remedia, quæ sale volatili anodyno constant, adjungi possunt; qualia sunt, ut superius jam dixi, flores sambuci, sassafras, crocus, quin imo aliquando etiam camphora, & reliqua jam dicta, quibus materia peccans a centro ad periphæriam pellitur.

CCXX.

CCXX.

Interim ſi materia tenax, & viſcida fauces occupat, ſignum eſt eandem totum arteriæ aſperæ tractum una cum ejus ramificationibus, occupare. In ſimili caſu gargariſmata, injectiones ex emollientibus cum melle roſarum, & nitro perquam neceſſariæ erunt.

Ad ſolvendam hanc materiam viſcidam conducit etiam chermes minerale, vel ſulphur antimonii tartariſatum.

Aſt quamvis omnia prædicta remedia in prædictis caſibus in uſum vocata fuerint, evenit tamen proh! dolor, ſæpiſſime, ut æger ad plures migraret; unde cogitare cœpi materiam morbificam certis nobilibus corporis partibus jam ita infixam hærere, ut quibuscunque tunc adhibitis remediis e ſua ſede dimoveri non poſſit. Quare in ſimilibus periculoſis variolis alia methodo proceſſi, quæ mihi ad vota ceſſit. Nimirum ſtudui diem,

qua

qua ſalivatio evaneſcere conſuevit, certis & appropriatis remediis antevertere. Sic die jam nona curavi duo veſicantia partibus inferioribus, aliquando etiam ad brachia applicari, ad hoc, ut materia peccans directa ad partes minus nobiles, viſcera interna libera, & intacta relinquant.

CCXXI.

Quemadmodum enim ſoliciti eſſe debemus de vita & ſanitate totius machinæ corporeæ conſervanda, ita non minus attentos nos eſſe oportet de oculorum, aliarumque partium affectibus, qui in & poſt variolas ibidem ſedem figere ſolent. Quamprimum Medicus præviderit variolas futuras, debet pro oculis talia præſtituere, quæ earum in illis proventum impediant, quæ ardorem, ruboremque leniant, leniterque roborent; talia ſunt aqua roſarum ſambuci, lac quodcunque ſemina ſumach, cydoniorum,

cro-

crocus, & plura ſimilia, quæ aut infuſa, aut decocta, ſpongia, aut linteis tepide applicari, ſæpiusque renovari debent.

CCXXII.

Contingit ſæpe, præſertim vero tempore ſuppurationis, & adhuc tardius, ut palpebræ tumeant, veſicamque humore plenam repræſentent, & tales diu maneant, ægrumque luce privent; ex quo periculum ſubeſt, ne viſio ipſa lædatur.

CCXXIII.

In ſimili caſu opponendæ erunt fomentationes tepidæ ex ſpeciebus carminativis cum vel ſine lacte, ad hoc, ut tumor eo citius diſcutiatur, ſicque oculi eo citius aperiantur; ad quod etiam multum conducit, ſi poſt ſuppurationem aridæ illa cruſtæ, quæ præprimis oculorum angulos, ſeu canthos occupant, illisque tenaciter hærent, lacte tepido, aut le-

ni

ni aliquo oleo mobiles reddantur, ut facile decidere & ſeparari poſſint.

CCXXIV.

Si vero diſſipato jam palpebrarum tumore, oculisque jam apertis aliqua in ipſis labes obſervetur, alia procedendum erit methodo. Sic ſi maculæ quædam in cornea adſint, quæ impediunt, ne radii luminis libere ad retinam transmitti poſſint, tunc omnia, quæ detergente, & abluente virtute pollent, conveniunt. Talia ſunt ſacharum oculis injectum, ſanguis columbarum recens, & calidus in oculos inſtillatus, item aqua ophtalmica cum ſapone, aqua, ſeu infuſio vitri antimonii, aut croci metallorum, quæ omnia & ſimilia, ſi oculos, aliunde ſenſiles, nimium irritant, miſceri & dilui poterunt cum aquis roſarum ſambuci; ſicque ſæpius oculis inſtillari.

CCXXV.

Aſt ſpecificum detergens invenio in bile piſcium, ut anguillarum, & lucii. Hoc confirmat hiſtoria Tobiæ cœci felle viſum recuperantis; ex ſacris enim litteris conſtat, eundem ex caſu ſtercoris columbini calidi in oculos viſione privatum fuiſſe, quod cum calidum & recens fuiſſet, legitime ſupponi poteſt etiam liquidum fuiſſe; adeoque partim ſuo pondere, & impetu, ex caſu inflamationem aliquam in oculis induxiſſe, partim ipſæ tunicæ corneæ, & adnatæ ita adhæſiſſe, ut leucoma, ſeu albuginem produxerit, quæ dein, præter ſpecialem Dei concurſum, etiam remediis phyſicis, nimirum felle ſublata fuerat. Qui plura deſiderat, legat Valeſii phyſicam ſacram.

CCXXVI.

Præterea contingere ſolet, ut materia varioloſa, aut ſanguis ipſe intret vaſa minima lymphatica, corneam perreptantia,

tia, & a Nukio expoſita, ſi diſcuti & reſolvi non poſſit, tandem in ſuppurationem degenerat, & hypopyon format. Unde dein contingit, ut cornea a pure erodatur, ſicque ulcus continuo materiam purulentam plorans producat. In quo caſu fiet, ut eroſa cornea, uvea, quæ illi ſubjacet, excidat, & ſtaphyloma efficiat.

CCXXVII.

Quare in primo propoſito caſu curare debemus, ut illud, quod in vaſis ſecundi aut tertii generis hæret, & reſtagnat fluxile, & meabile reddatur, reſolvatur, & in liberum circulum reducatur; quapropter cataplaſmata ex floribus roſarum, ſambuci, verbaſci cum aqua cocta, conveniunt, quibus dein addi poteſt aliqua portio aceti de lithargyrio; aliqui etiam adjungere ſolent aliquid de ſpiritu vini rectificato, quæ tepide, & ſæpe oculo affecto apponi poſ-

ſunt. Ad eundem uſum inſerviunt ſplenia ſimili decocto intincta, madentia, & tepida ſæpius appoſita, quibus non tantum humor reſtagnans fluxilis redditur, ſed vaſa ipſa, quibus continetur, leniter conſtringuntur, ita ut humor facile ad ramos diametri majoris retropellatur, & retrocedat.

CCXXVIII.

Si vero non obſtante omni adhibita cura, & cautela humor reſtagnans non diſcutiatur, ſed ſuppuretur, tunc materia purulenta intra corneam & uveam hærens, ut dixi, hypopium format. In tali caſu duplex ſupereſt medela. Prima conſiſtit in eo, ſi affectus ſit recens, ut diſcuti, & reſolvi, & per vaſa abſorbentia ad circulum reduci poſſit; tunc præter ſupradicta cataplaſmata conveniunt ſpecialiter ſalvia, euphraſia, hyſopus, & ſemen fœniculi in vino cocta, quibus ſplenia intingi, & tepida ſæpiſſime applicari debeni.

CCXXIX.

CCXXIX.

Quando vero ex his non efficitur, quod in votis eſt, ſupereſt unica operatio chirurgica; quâ fit phlebotomo ad id adaptato corneæ apertio, ut materia purulenta evacuari poſſit; ſed magna adhibenda eſt cautela, ne ſub ipſa apertione ſubtus deliteſcens uvea lædatur.

CCXXX.

Item contingit, ut jam dixi, ut aperta aut eroſa, a materia acri purulenta, cornea, uvea ex illa apertura promineat, tumoremque acinum referentem exhibeat; hoc malum ſi necdum radices egit, poteſt dexteritate chirurgi ad ſtatum naturalem reduci, & vulnus debita methodo conſolidari.

CCXXXI.

Sicut oculi, ita etiam aures a variolis affici ſolent. Dolor, qui ſæpe enormis adeſt, mitigatur leniſſimis oleis, ut chamam: verbaſci, amygdalar: item

decoctis emollientibus in aures immissis, injectis, ibidem retentis. Sed omnium optime fomentis, cataplasmatis emollientibus cum vel sine lacte, tepide ad aures appositis, sæpiusque renovatis.

CCXXXII.

Si vero abscessus in auribus formetur, debet materia purulenta prius ablui & abstergi; dein vero pars læsa consolidari. Primo scopo satisfaciunt omnia supradicta decocta emollientia cum melle rosarum sæpe auribus immissa. Tandem pro consolidatione poterit prioribus addi aliquid de tinctura mirrhæ.

CCXXXIII.

Superius jam aliquid insinuavi, quomodo in variolis forma, & nitor faciei conservari possit; hic reliqua adjungam, quæ opportuna hoc in casu observavi.

Præprimis enim ante variolarum eruptionem curare debemus, ut quam paucissime fieri possit, faciem occupent;

hoc

hoc efficimus per illa, quæ a partibus ſuperioribus ad inferiores derivant, talia ſunt venæſectio in pede, clyſmata emollientia, ſæpius injecta pediluvia ſæpius adhibita. Huc etiam ſpectat illud medicamentum mercuriale laxans, de quo §. CLXII. diximus.

CCXXXIV.

Item huc referri debent illa remedia topica, quæ vaſa cutis ita afficiunt, ut illud, quod hic effloreſcere deberet, diſcutiatur; reſolvatur, ſicque ad alias partes, nimirum inferiores, dirigatur. Inter multa alia duo invenio, quæ ſæpius captis experimentis reſpondent; primum eſt tinctura croci ſive cum aqua pura, ſive cum lacte facta, alterum vero eſt aqua cinamomi; horum remediorum uno, ſi ante variolarum eruptionem facies ſæpius lavetur, fiet, ut pauciſſimæ faciem, eo plures vero alias corporis partes occupent.

Hoc sæpius & repetitis experimentis ad vota succeſſiſſe affirmat Clariſſ. Diemerbrœck historia 12. & 13.

CCXXXV.

Aſt facta jam variolarum eruptione nihil amplius agere poſſumus quam

Primo, ut ſuppuratio benigna reddatur, unde fiet, ut pus laudabile, & minus acre ſubjectas partes erodere non poſſit; quomodo vero ſuppuratio benignior reddatur, diximus ſuperius.

CCXXXVI.

Secundo, ut pus jam factum, quam primum fieri poſſit, exitum adinveniat, quod ſit puſtulas maturas aperiendo, ſæpe abluendo, & abſtergendo, ne pus diutius inhærens profundas efformet foveas.

CCXXXVII.

Hoc ipſum dein eo facilius obtinebimus, ſi cruſtas aridas, cuti arcte adhærentes ſæpe illiniamus, oleis, blandiſſi-

diſſimis, ut oleo amygdalarum dulcium, ovorum, ſed præcipue raparum; quod pro ſecreto habuit Harſcampius, ut Diemerbrœck hiſtoria decima aſſerit; hoc modò fiet, ut illæ cruſtæ eo citius decidant, & materia illa acris, & rodens temperetur & detergatur.

CCXXXVIII.

Poſtquam aridæ illæ cruſtæ jam deciderint, ego bono cum effectu uti ſoleo decocto hordei, aut orizæ, ſed recens ſemper facto, quo tepide faciem curo ſæpe de die ablui; qua ratione omne acre poſt deciduas cruſtas abluo, & detergo; quo facto, ne exinde aliqua rheumatica defluxio contrahatur, ſoleo & jubeo, faciem linteis ſiccis, calidis, & myrrhæ, aut thuris fumo imbutis detergi, leniter fricari, & tandem obvolvi.

CCXXXIX.

Tandem variolis ſolent ſupervenire ulcera exedentia, & depaſcentia, furunculi, item phtiſis, & febris lenta. Hæc vero metuenda ſunt præcipue in variolis malignis, raro in benignis.

CCXL.

Si materia purulenta varioloſa notabili quantitate ad ſanguinem reſorbeatur, aut ſub cute in membrana celluloſa jam lateat, fit per modum metaſtaſeos ejuſdem ad diverſas corporis partes internas, aut externas decubitus; in externis fiunt prædicta ulcera, aut furunculi; in internis vero phtiſis, aut febris lenta.

CCXLI.

Si propter malignitatem variolarum aliquod ex prædictis metuendum ſit; tunc debet æger ſtatim poſt ſuperatam ſuppurationem remedio purgante antiphlogiſtico, & mercuriali evacuari. Si vero ultra ſolitum maturationis tempus febris urgeat, debet

bet ſanguis mitti, quem ego ſemper lardaceum obſervavi.

CCXLII.

Præterea debet æger corticem peruvianum una cum copioſis diluentibus antiphlogiſticis in uſum vocare; quibus prædicta laxantia cum mercurio dulci omni triduo aut quatriduo interponi debent. His enim efficiemus, ut prædicta mala impediamus, aut, ſi aliquod eorum jam adſit, eo citius, facilius, & ſecurius tollatur. Quæ de purgantibus dixi, illa concernunt magis furunculos, & ulcera externa, quam illum ſtatum, ubi æger ad tabem diſpoſitus eſſe videtur.

CCXLIII.

Aſt, ne quis credat, hæc ad libitum dicta, & prolata eſſe, poſſem hæc ex probatiſſimis, ſi opus eſſet, autoribus corroborare.

Interim ſatis erit, ſi aliquorum tantummodo teſtimonia adduxero.

Sic

Sic celeberrimus Mortonius in ſuo tractatu de variolis repetitis experimentis comprobavit, tam in ulceribus variolarum malignis, quam in furunculis, ſcabie, phtiſi, & febre lenta ſpecificum eſſe corticem peruvianum, & ad evacuandam, & domandam talem acrimoniam verminoſam, purgantia mercurialia, eſſe perquam neceſſaria. Quod præter alios, Celeberrimi Junkerus, & Nenterus propria edocti experientia in tractatu de variolis confirmarunt.

CCXLIV.

Item Clariſſimus Diemerbrœck hiſtor. 28. habet caſum, ubi tabes a furunculis poſt variolas inducta cortice peruviano curata fuit.

CCXLV.

Quin imo ulcera maligna a materia varioloſa inducta mercurialibus curata fuiſſe legimus apud Bonetum Polyalt. Tom. III. pag. 650. item apud Ettmuller: col-

colleg. confult. cafu 24. Plura de ufu mercurii, & corticis peruviani in variolis legi poffunt fuperius.

CCXLVI.

Sed neque hic eft finis malorum, quæ variolis præcipue malignis fupervenire folent; obfervationes enim docent, plures alios magni momenti affectus, variolis jam valedicentibus, & dum æger ferme jam in vado effe creditur, accedere, quia ifti rariores funt cafus, illis explanandis non immorabor; breviter tantum quosdam attingam. Sic in Ephemerid. Nat. cur. Annor. 6. & 7. pag. 132. legitur mania variolas fecuta fuiffe. Item apud Carolum Drelinkurtium invenio poft variolas furdos, elingues, & olfactu carentes, factos fuiffe; quæ omnia & fimilia dependent a reliquiis materiæ variolofæ in certis nervis fedem figentis, eosdem comprimentis, aut obftruentis.

Do-

Dolæus ipse meminit puellæ 7. annorum ex variolis mutæ factæ, quæ multis post annis ex improviso loqui cœperat.

Idem casus contigerat non pridem hic Vindobonæ. Illustrissima scilicet Domicella Comes de Hohenzoller ex variolis pariter muta facta, sicque diu perseverans, tandem ad naturalem loquendi facilitatem reducta est.

CAPITIS IV.

SECTIO III. ET ULTIMA.

Sistit particulares quasdam de variolis observationes, & annotationes.

CASUS I.

CCXLVII.

Perillustris adolescens de Hackin 15. circiter annos natus, cetera sanus, in-

inceperat conqueri de dolore capitis, & dorsi, de lassitudine totius corporis, de anxietatibus, nausea. Die sequente vomuit biliosa sæpius, fiebat soporosus, inquietus, anxiosus, insomnis, & per intervalla delirans.

Hæc erant signa, ut optimo jure variolas, quæ illo tempore epidemice grassabantur, futuras prædiceremus. Eventus ipse firmabat factam prognosim; nam die tertia in facie, cum quadam rubedine totam faciem occupante, sat frequentes in conspectum venerant papulæ, quæ quarta & quinta die per totum corpus numero auctæ, in facie partim confluentes fuere, partim cohærentes.

CCXLVIII.

Quare, cum jam sub morbi initium vehementia illa symptomata variolas mali moris futuras significarent; primis duabus morbi diebus curavimus, ut clysmata emollientia sæpius injicerentur, san-

guis

guis repetitis vicibus mitteretur, diversa antiphlogiſtica, & diluentia in uſum vocarentur, & ut plantis pedum epiſpaſticum ex fermento panis cum aceto rutaceo apponeretur.

Circa finem diei quintæ, & ſequente die ſexta æger videbatur quietior; dormivit magnam noctis partem, & aliquot horas inter diu, febris remittebat, ſed non penitus ſilebat.

Quarta circiter morbi die ptyaliſmus acceſſit, qui ſequentibus diebus augebatur, ita ut nychthemeri ſpatio ad libram unam & ultra exſpuerit; decima autem die ſpiſſiore facto ſputo decrevit, & tandem duodecima die penitus ceſſavit ſalivatio. Tempore ſuppurationis tumor faciei in immenſum augebatur, ex quo æger jam die ſeptima ferme luce privabatur. Cum præterea ægrotus mente conſtaret, & utcunque tranquillas usque ad undecimam tranſigeret dies, omnia bona

omi-

ominabamur. Aſt die duodecima tumor faciei fere aliquot intra horas evanuit; neque tumor manuum, pedumque, ut fieri ſolet, exceperat eundem. Æger erat inquietus, inſomnis, delirans. His acceſſit continua micturitio, ut plus urinæ limpidiſſimæ, quam liquidorum aſſumpſerat, excreverit. Sitis & febris augebantur. Die 13. in pectore, collo, dorſo, ſed vel maxime circa lumbos, & hypochondria, aderant magno numero miliaria exanthemata, tam rubra quam alba.

CCXLIX.

Quare, ut materia peccans, ad partes internas nobiles depoſita, ad partes externas avocaretur; veſicantia appoſita erant, interne autem, ut partim febris, micturitio, & partim reliqua ſymptomata mitigarentur, propinabantur diverſa antiphlogiſtica, diluentia, paregorica, emulſa. Item pro potu ordinario erat

decoctum album, & tinctura florum rhæados cum phlegmate vitrioli.

CCL.

Verum omnia sine levamine præstituebantur etenim febris, delirium, micturitio augebantur, vires vero minuebantur, sicque convulsus die circiter 17. morbi obiit optimæ spei adolescens.

CASUS II.

CCLI.

Perillustris Dominus de Smerling 19. circiter annorum, laborabat eodem anno variolis confluentibus, eisdem fere, ut in primo casu, symptomatibus stipatis. Aderat nimirum ptyalismus, qui undecima circiter die, evanuerat; eodem vero tempore facies detumuerat, sine subsequente manuum, pedumque debito tumore; micturitio diabetica pariter affligebat, & tandem exanthemata miliaria tam alba

quam

quam rubra ſupervenere ; omnia quæ mortem, uti in primo caſu, minabantur.

CCLII.

Quod curam medicam concernit in ſecundo caſu primis morbi diebus, & uſque ad duodecimam fere eadem erat, quæ in præcedente caſu. Illo vero tempore, quo micturitio & miliaria ſupervenerant, methodus quoad curam mutata erat ; ſicque prius recenſitis remediis cortex peruvianus adjungebatur, ex cujus uſu ſecundos vidimus effectus ; nam non tantum illa moleſta, & periculoſa micturitio minuebatur; ſed & febris, delirium, anxietates, & reliqua lethalia ſymptomata ſedabantur, ſicque æger vigeſima prima morbi die judicabatur.

ANNOTATIONES

Ad prædictos duos Casus.

CCLIII.

Hosce duos data opera sisto casus, quoad morbi decursum quidem similes, sed quoad eventum toto cœlo differentes. Hæc differentia diversis, in his casibus adhibitis, remediis procul dubio adscribi debet.

Possem plures hujuscemodi adducere casus, quos, aut ego ipse tractavi, aut ab aliis medicis tractatos vidi; sed hi duo recensiti sufficient ad confirmandam antisepticam, & alexipharmacam corticis virtutem, cui parem in materia medica vix invenire est. Selegi item tales casus, qui ante viginti & plures annos hic loci contigerant, ut constet, hujatibus medicis corticem in morbis malignis jam dudum in usu fuisse. Nam curam hõrum

ægro-

ægrorum tanquam medicus primarius dirigebat Magnificus, mihique æterna memoria colendus D. Weber de Fürnberg, cujus humanitate & benevolentia multis annis frui mihi conceſſum erat. Unde ego ut Medicus ſecundarius, & illo tempore adhuc novitius his, aliisve quam plurimis ſimilibus ægris adſtiti, invigilavique, ut omnia prout ordinata erant, executioni religioſe darentur, quo tempore etiam copiam habui, ut non tantum exactum morbi decurſum, ſed & remediorum exhibitorum ſecundos aut ſiniſtros effectus annotarem.

CCLIV.

Experientia medicos Practicos edocuit, quod, ſi, dum ptyaliſmus ceſſat, & tumor faciei evaneſcit, extrema corporis, nimirum manus, pedesque valde tumeant, æger ſe exinde bene habeat; ſecus autem ſi hoc non eveniat. Signum enim eſt, illam materiam corruptam, quæ

faciem in tumorem attollere ſolet, ad circulum humorum rapi, & deponi ad alias corporis partes, nimirum aut ad cerebrum, unde dein delirium & convulſiones, aut ad circumferentiam corporis, unde illa miliaria exanthemata, aut ad alia viſcera, unde illa micturitio, & gangræna.

Si itaque materia variolosa ad maſſam humorum reſorpta in nobiliore aliquo viſcere ſedem figat, ſubſequetur dein eo citius gangræna & mors; ſi vero fiat hujus congeſtio in aliquo minus nobili viſcere, aut ſi diu cum maſſa humorum circulet, abſque eo, quod in aliqua interna corporis parte ſedem figat, fiet, ut, prout plus aut minus prædictæ materiæ corruptæ ſanguini immixtum erit, etiam motus febrilis nunc major nunc minor obſervetur; ſub quo motu febrili adaucto fiet iterum novus in peripheria corporis exanthematum proventus; quæ febrilis, & exanthematica exacerbatio ſæpius repetere obſerva-

vatur, ut jam §LII. annotavimus. In ſimilibus autem circumſtantiis morbus quām longiſſime nimirum ad 30. 40 & ultra dies protrahitur; unde æger ſemper magis & magis langueſcit, & tandem exhauſtis viribus expirat.

CCLVI.

Quare in ſimilibus caſibus conveniunt quidem omnia, quæ materiam peccantem a nobilibus viſceribus avocant, ut veſicantia aliaque epiſpaſtica, item quæ acrimoniam temperant, diluunt; ut omnia emulſa, paregorica, & antiphlogiſtica.

CCLVII.

Sed experientia docuit, quod hæc acrimonia ſit ſæpe tam ſeptica, & quod diuturnitate morbi, ex multis amiſſis humoribus roſcidis, tenuiſſimis, fiat tam tenax, ut partibus, quibus infixa eſt, arctiſſime adhæreat, easque erodat, & gangræna afficiat.

Quapropter non neglectis supra dictis diluentibus & antiphlogisticis, opus erit specifico aliquo antiseptico, nimirum cortice peruviano, quo non tantum prædicta acrimonia temperatur, cicuratur; sed simul tonica ejus virtute genus nervosum & vasculosum diuturnitate morbi jam attritum, roboratur, ut par fiat materiæ huic peccanti excutiendæ, digerendæ, & coquendæ, & tandem per debitas vias e corpore eliminandæ.

CCLVIII.

Hunc ipsum corticis peruviani effectum expertus sum pariter in illis malignis variolis, quas epidemice grassantes §. XLVII. descripsi; neque enim opus esse credo, ut particulares de illa variolarum epidemia casus adducam. Sufficiat meminisse, variolas illius epidemiæ discretas quidem sed anomalas, & malignas ut plurimum fuisse. In hoc vero singulare quid, quod in aliis epidemiis necdum

ob-

obſervavi, præ ſe ferebant, quod jam quarta, aut quinta morbi die, & quidem tam infantes, quam adultos, micturitio, diarrhæa colliquativa, atque exanthemata miliaria affligerent. Unde dein debitus, & neceſſarius tumor, rubor, & ſuppuratio, impediebantur.

CCLIX.

Huc referri debet illa obſervatio, quam de hujate quodam cive quinquagenario, mihi annotaveram, qui in eadem epidemia variolis ſat diſcretis laborabat. In hoc exſpectabam, aut nimios, & ſolitos ſudores, aut ptyaliſmum; ſed neutrum horum acceſſit; vices vero eorum ſuppleverant micturitio, & diarrhæa colliquativa, quæ ſub initium diei quintæ jam ſupervenerant; & ad decimam, aut undecimam morbi diem, nunc plus, nunc minus moleſtabant.

Videntur enim in hac epidemia prædicta variolis alias ſolita, & communia ſym-

ptomata per micturitionem, & diarrhæam ſuppleta fuiſſe; in quantum nimirum illa materia peccans in renes, veſicam & inteſtina irrueret. Unde contigit, ut in ſimilibus caſibus multi hujates medici indicationes formarent, debere nimirum hanc materiam peccantem a centro ad peripheriam corporis duci & pelli; quapropter diverſa volatilia & ſudorifera præſtituebant, ægrosque tegumentis premebant; verum ex hac methodo, quamvis adſtantibus, conſanguineisque grata, omnia brevi in pejus ruebant; nam materia in cerebrum converſa mox phreneſes & convulſiones cauſabatur; quæ ex uſu corticis, ut ſuperius dixi, metuenda non erant.

CASUS III.

CCLX.

Perilluſtris juvenis D. de Furnberg inceperat conqueri de certis rheumaticis doloribus utrumque pedem occupantibus, qui

qui ſequentibus diebus non augebantur, ſed potius minuebantur; verum debilitas tanta haſce partes invaſit, ut, quemadmodum in paralyſi contingere ſolet, has partes nec movere, neque illis inſiſtere potuerit æger; pulſus tamen fere naturalis videbatur, appetitus, & ſomnus pariter aderant. Decem circiter dies obtinebat præſens ſtatus; quem primo, dein exceperat febris, nauſea, vomitus; & tandem variolarum ſat benignarum eruptio; qua necdum exacta priſtinam pedes mobilitatem, vigoremque recuperarunt, his ſucceſſit ſuppuratio benigna, & placida, ac die decima quarta morbi judicatus eſt.

ANNOTATIONES
Ad Caſum III.
CCLXI.

Miaſma contagioſum diutiſſime, quinimo a primordio vitæ iners in noſtro

cor-

corpore hærere poſſe, ſuperius in tractatu de contagio oſtendimus.

Item hoc ipſum, quod paulo ante dixi, obſervationes multorum autorum nos docent, quod nimirum, diverſi rheumatici, aut pleuritici affectus quandoque variolarum eruptionem, aut cum, aut ſine febre præcedere ſoleant. Vide Diemerbrœk Hiſtor. 16. Unde ſi nulla adſit febris, poterit in longius tempus variolarum eruptio protrahi; ſecus vero, ſi eisdem febris jungatur; quia ſic a motu illo febrili miaſma illud varioloſum nervis impactum longe citius excutitur; & cum maſſa humorum miſcetur, ſicque evolvitur.

CCLXII.

Vidi alium adoleſcentem ante variolarum eruptionem claudicantem, & quaſi choræam Sancti Viti æmulantem, qui mihi, aliisque adſtantibus impoſuiſſet,

nisi

nisi ex superveniente die variolarum eruptione sapere didicissemus.

CASUS IV.

CCLXIII.

Illustrissima Herula Comes de Schrottenbach annos circiter septem nata, prima die videbatur illis, qui ab illius servitiis erant, tristis & morosa, sed brevi post corripiebatur deliriis, & convulsionibus, quæ bidui integro diu, noctuque magnis cum clamoribus, & inquietudinibus perdurabant; febris, & calor erant ad sensum valde mites. Tandem sub initium quartæ diei eruperant universim, & in toto corpore viginti circiter variolæ optimæ notæ. Quo facto, uno quasi momento, omnia prædicta symptomata silebant, & ægra bene valebat. Variolæ tandem cum circulo rubro, sed sine sensibili incommodo suppurabantur,

sicca-

ſiccabantur, & decidebant; ſicque die jam nona formoſiſſima hæc Domicella in vado conſtituta dici poterat.

CASUS V.

CCLXIV.

Studioſus Viennenſis, & hujatis civis filius 13. circiter annos natus, corripiebatur primo anorexia, nauſea & tandem vomitu biliofo; item inquietudine, anxietate, ſiti, & febre ſat forti; cui dein deliria & convulſiones integro die naturali durantes acceſſerant. Die tertia ſupervenerant variolæ, quantum numerare potui, viginti & aliquot; quæ mox ab initio erant fuſcæ, tandem undecim earum lividæ, & nigræ evaſerant. Has enim, quamvis pauciſſimas, tractavi debitis antiphlogiſticis, diluentibus, hydrogala; febris ſuppuratoria erat ſat mitis, neque aliquo periculoſo ſympto-

ma-

mate ſtipata. Exſiccatio vero hoc ſpeciale præ ſe ferebat, quod, quamvis aridæ cruſtæ jam deciderent, mox aliæ quaſi ex fundo renaſcerentur, quod cum aliquoties factum fuiſſet, ſat profundæ variolarum foveæ remanſere.

ANNOTATIONES

Ad Caſum IV. & V.

CCLXV.

Iſtos duos Caſus ſecundum quid ſimiles, & ſecundum quid diſſimiles, una eademque fidelia examinandos ſiſto. Ex quibus ſequentia corollaria deduci poſſunt.

Primo: quod parvitas miaſmatis contagioſi, ſi certos occupat plexus nervoſos, enormes excitare valeat motus convulſivos; qui non ſopiuntur, niſi illa ipſa materia irritans e nervis excutiatur;

alio-

alioque rapiatur; quod fit, aut illis ipsissimis motibus a materia peccante, aut a natura, aut ab arte institutis, & excitatis per epispastica, clysmata, aliaque remedia superius jam dicta.

CCLXVI.

Secundo, quod ex pulsu plus, aut minus febrili, aliisque signis prædicere possimus variolas benignas, aut malignas futuras. Nam in casu quarto, quamvis horribilies adfuerint convulsiones, quia tamen febris erat levis, benignissimæ supervenerant variolæ; contrarium vero observabatur in casu quinto; etenim febris erat vehemens, dirisque symptomatis stipata; unde quamvis paucæ eruperant papulæ, istæ tamen de maligna participabant indole.

CCLXVII.

Prioris variolarum indolis multos casus vidi. Inter quos notabilis fuit ille, qui in Academia Sabaudica Illustrissimum

na-

natu minimum D. Comitem de Kauniz concernit. Hic enim per triduum integrum diu, noctuque tam ferocibus clamoribus, deliriis, & convulſionibus torquebatur, ut aliquot adſtantium vix pares fuerint eidem in lecto continendo. Aſt ecce huic turbulentiſſimo ſtatui ſupervenerant variolæ, quidem copioſæ, ſed diſcretæ & benignæ, quæ dein placidiſſime omnia decurrebant ſtadia.

CCLXVIII.

Verum ſecundi generis variolarum caſus rariores ſunt. His ſimilem invenio in Ephemerid. nat. cur. Anni tertii pag. 44. ubi variolas pauciſſimas, ſed malignas, & nigras videre eſt.

Tandem tertium corollarium exinde deducitur, quod variolæ benignæ cito ſuppurentur, cito exſiccentur, & cito decidant; contrarium vero in malignis obveniat, ut ipſe caſus docet.

CASUS VI.

CCLXIX.

Illuſtriſſimus D. Com. de Künburg, Salisburgenſis, viginti circiter annos natus, tumore ſcrofuloſo glandularum colli ab incunabulis præditus, in Academia Sabaudica, corripiebatur ſumma totius corporis laſſitudine, dolore capitis, nauſea ad vomitum, & tandem vomitu bilioſo, febre inflammatoria cum pulſu celeri, duro, & magno, item intenſa ſiti, ſopore, deliriis, ſubſultibus tendinum, ſummisque anxietatibus, & inquietudinibus.

Vix incipiente die tertia in conſpectum jam venerant confertiſſimæ papulæ, quæ partim confluebant, partimque cohærebant.

CCLXX.

Primis morbi atrociſſimi diebus, applicabantur, ſæpiusque repetebantur

tur clyſmata emollientia cum dragma una nitri.

Item appropriata diluentia & antiphlogiſtica in uſum vocabantur. Epiſpaſtica ex fermento panis applicabantur plantis pedum, & ſanguis ternis venæſectionibus ad uncias fere quadraginta mittebatur.

CCLXXI.

Die quarta ſupervenit ptyaliſmus (ſymptoma in hoc caſu præ aliis notandum) nam materia nimium tenax & viſcida difficulter, & in exigua quantitate ſcreabatur; quin imo die intra octavam & nonam morbi penitus ſiſtebatur; ex quo factum eſt, ut æger nec deglutire, nec libere reſpirare, nec loqui potuerit, hæc preſſo pede ſequebantur ſopor, delirium, & ſtertor, ut æger brevi ſuffocandus, & quaſi in agone conſtitutus videretur.

CCLXXII.

In hoc extremo casu instituta cum Magnifico & Expertissimo Viro D. de Zwenhoff consultatione conclusum fuit, ut confestim

Primo: quinque apponantur vesicantia, duo nimirum ad suras, duo ad brachia, & unum ad nucham.

CCLXXIII.

Secundo: ut hirudines post aures applicentur, & exinde ad uncias octo, aut etiam plus detrahatur sanguinis.

CCLXXIV

Tertio, ut cataplasma emolliens & discutiens, parti anteriori colli, capiti vero raso columbæ vivæ in duas partes dissectæ, sæpiusque per alias novas renovandæ apponantur.

CCLXXV.

Quarto, ut clysma fortius cum majore quantitate nitri injiciatur, & tandem injectiones in fauces sed lento impetu

petu inſtituantur, & quamprimum æger aliquid deglutire poterit, ut ſulphur antimonii tartariſatum, aut loco hujus Kermes minerale ad unum, alterumve granum pro doſi, ſæpius repetenda, præſtituatur.

Virtute quorum effectum fuit, ut ægrotus dein facilius deglutire, reſpirare, & loqui potuerit; ſopor, delirium, ſtertor & reliqua atrocia ſymptomata evanuerint, & tandem, quamvis miliaria tam rubra, quam alba die decima acceſſiſſent, æger e mortis faucibus ereptus ſucceſſive, & magno cum labore, priſtinæ & integræ ſanitati reſtitutus fuerit, qua etiamnum gaudet, & ut in æternum gaudeat, precor.

ANNOTATIONES

Ad Casum VI.

CCLXXVI.

Tres aliæ hujus nobilissimæ familiæ proles, seu fratres nostri ægroti, ex eodem morbo, & ex eadem causa aliquot ante annis suffocabantur; nec mirum, nam videmus, quod etiam in statu naturali, & sano a scrofulosis tumoribus arteria aspera prematur, & angustetur, multaque incommoda tam in deglutitione, loquela, quam vel maxime in respiratione afferat.

CCLXXVII.

Quid igitur fiet in statu morboso ex variolis? ubi omnes faucibus adjacentes, & vicinæ partes tument, & turgent; in tali casu non tantum larynx, sed & glottis, epiglottis, & aspera arteria tument, premuntur, & angustantur, ut nec aër

libe-

libere ad pulmones intrare, nec exire possit, hæc incommoda ultronee augentur ab humoribus viscidis & tenacibus in prædictis partibus congestis & hærentibus.

CCLXXVIII.

Ex his, quæ nunc dixi, fit, ut venæ jugulares tam internæ, quam externæ, item vertebrales pressæ se libere exonerare non possint in subclaviam, unde dein in cerebro, ejusque sinubus cum prædictis venis communicantibus necessario exurgit stagnatio, sopor, delirium; quæ si diutius in hoc statu perseverant, fiunt dein gangræna, convulsiones & mors.

CCLXXIX.

Quapropter in simili extremo casu quantocius illis remediis obviam eundum erat; quæ illam tenacitatem humorum solverent, & fluxilem redderent, quæ illum tumorem discuterent, derivando,

revellendo; qualia erant prædicta clysmata, vesicantia, cataplasmata, injectiones in os, & tandem Kermes minerale; virtute quorum dein magna excrementorum copia per alvum secesserat.

CCLXXX.

Hirudines vero exonerabant venas jugulares sanguine turgidas; ex quo dein liberior circulus humorum per cerebrum, ejusque sinus conciliabatur. Unde facile concipere possumus, quare exinde sopor, delirium, & reliqua symptomata evanuerint.

CCLXXXI.

Sed dicet aliquis, quare non fuerit potius vena secta? ex qua præsentaneum levamen expectandum fuisset.

Ad hoc respondeo, quod venæsectio in illo casu hirudinibus sit anteponenda, quando pulsus est fortis, & vires constant; in simili vero casu, qualis noster erat, pulsus fuit debilis, vires lan-

languebant; unde ſeligi debuit talis evacuatio, quæ ſit lenta non violenta.

CCLXXXII.

Ex his ultronee diverſa & utiliſſima in praxi corollaria deducere poſſumus, ut primo, quod in omni variolarum ſtadio, ſi ſymptomata exigant, ſanguis mitti poſſit.

Secundo, quod illi humores tenaces, qui ceſſante ptyaliſmo in faucibus hærent, & ſuffocationem minantur, optime per alvum deturbari & evacuari poſſint. In quo caſu ſulphur antimonii tartariſatum, aut Kermes minerale optimo cum effectu ſæpe adhibui; etenim non tantum tenacitas humorum ſolvitur, ſed per alvum, vel per ſcreatum, expectorationem, aut etiam aliquando per vomitum evacuatur illud, quod officit.

CASUS VII.

CCLXXXIII.

Perilluſtris Domina Herula de Sutner 8. circiter annorum ex parente hæmophtiſico nata, laborabat variolis quidem diſcretis, ſed anomalis, malignis, & cum miliaribus intermixtis.

Die octava morbi, ubi febris ſuppuratoria in ſummo erat conſtituta gradu afficiebatur tuſſi ſicca moleſtiſſima, & quaſi convulſiva; quam paulo poſt, quamvis ab initio morbi ſanguis miſſus fuerit, ſequebatur ſcreatus, & ſputum ſanguinis floridiſſimi, quotiescunque tuſſiret, ſat copioſus.

CCLXXXIV.

Anxietatem meam, & adſtantium augebat recordatio funeſtiſſimi caſus, qui anno præcedente, unicum hujus celebris familiæ filium, ſub directione alterius Medici variolis laborantem, concernebat;

huic

huic enim pariter die octava supervenerat sanguinis secessus per alvum cum dispendio vitæ.

CCLXXXV.

Quapropter in simili urgentissimo casu, qui statim post mediam noctem acciderat, adivi Magnificum D. Weber de Fürnberg, tunc pariter ex febre catarrhali ægre decumbentem, ut ille, qui ab initio morbi suo consilio ægræ adstiterat, in hoc periculoso, & urgente casu, quæ agenda essent, sua, qua apud omnes valebat autoritate, firmaret. Unde conclusum fuit.

Primo, ut quamprimum fieri possit, sanguis ex pede, revulsionis causa, mittatur.

Secundo, ut tussis illa molesta, cujus violento motu vasorum rixis, & sanguinis sputum succedebat, sedaretur, & tandem motus febrilis mitigaretur. Unde ordinabatur mixtura ex aquæ florum

rhæa-

rhæados unciis quatuor; opii puri grano uno, & ſyrupi papaveris albi uncia una. Tinctura vero florum rhæados cum phlegmate vitrioli erat pro potu ordinario.

Ex his effectum eſt, quod in votis erat, & ægra brevi priſtinæ reſtituebatur ſanitati.

Aſt parentes conſanguinei, aliique præjudiciis capti, & metuentes variolarum retroceſſionem, nos valde nigro ubique notabant carbone; donec ſecundus curæ eventus convitia convelleret de trivio. Sunt enim quamplurimi etiam artis Apollineæ cultores, qui malunt, ægros in extremis caſibus ordinaria medendi methodo interire, quam ſingulare & anceps moliri, & experiri remedium.

A N-

ANNOTATIONES

Ad Casum VII.

CCLXXXVI.

In variolantibus hoc quisque medicus sedulo observare debet: an non quædam viscera, sive titulo a parentibus hæreditario, sive adscititio, speciali atonia affecta sint? nam dum motus febriles adaugentur, uti hoc præcipue in febre suppuratoria, videre est, facile evenire solet, ut tale viscus afficiatur; cum enim illud sit præ aliis debile, & minus resistens; sic fit, ut totus, aut saltem major pars febrilis impetus dirigatur ad tale viscus; ex quo dein evenit, vel ut aliqua humorum congestio in ea succedat parte, vel ut vasorum dilaceratio, & ruptura sequatur. Quod in nostro casu factum esse diximus.

Tan-

Tandem, quod jam ſuperius de ſanguinis miſſione in variolis inſtituenda dixi, hic ultronee firmatur, & corroboratur.

CASUS VIII.

CCLXXXVII.

Illuſtriſſimus Comes de Aſpremontlinden ætatis ſuæ viginti duorum circiter annorum, temperamenti ſat robuſti, & vegeti, dum in Academia Sabaudica ſtudiorum cauſa commoraretur, corripiebatur variolis magnam partem in facie confluentibus. Salivatio cum ſcreatu ſat copioſæ materiæ plus minus viſcidæ die quinta inceperat; die vero ineunte jam decima minuebatur; unde multi humores viſcoſi occupabant laryngem, pharyngem, aliasque adjacentes partes, ex quibus deglutitio, & reſpiratio difficiles fiebant. Præterea eodem tempore, quamvis ab initio morbi quatuor enematibus bene

bene evacuatus fuerit, conquerebatur de certo tenesmo valde molesto, quin imo de quibusdam etiam doloribus colicis, ex quibus anxietates, & inquietudines adhuc magis augebantur, & quolibet fere momento metuendum erat, ne convulsiones universales accederent.

CCLXXXVIII.

In hoc tam ambiguo, & urgente casu, capto cum Magnifico Domino de Zwenhoff consilio, statutum fuit, ut ad evacuandam, & abluendam illam acrimoniam in intestinis hærentem, & irritantem quamprimum clysma ex decocto hordei, & oleo lini, cum vitello ovorum mixtis, & unitis, injiceretur, & si opus esset, repeteretur; & ut evacuans mannatum propinaretur.

Quæ omnia & singula, ut statuta erant quantocius executioni dabantur; e quibus dein etiam effectum erat, ut ingens copia excrementorum una cum pituita

tuita quadam viſcoſa evacuaretur. Primo enim ſecedebant ſcybala dura, compacta, & figurata in magna quantitate, dein ſequebantur liquidiora fœtidiſſima, quibus multa mucoſa mixta erant.

Hæc omnia fiebant ſummo cum levamine; nam æger exinde facilius deglutiebat, facilius reſpirabat, teneſmus, aliique dolores ventris cum omnibus aliis ſymptomatibus abigebantur, ſicque æger vigeſima prima die perfecte judicabatur.

ANNOTATIONES

Ad Caſum VIII.

CCLXXXIX.

Sane mirabamur omnes adſtantes, quod quamvis primis morbi diebus ex aliquot clyſmatibus injectis magna excrementorum copia evacuata fuerit; nihilominus tamen dein tam notabilis eorum

rum copia ſuperfuerit, & ex ſuperius recenſitis remediis per alvum ſeceſſerit; nam toto morbi decurſu non niſi panatella, aut cremore hordei nutriebatur, ex quibus urinarum potius, quam excrementorum moles augebatur.

Quapropter ſupponere debemus, talia intra rugas, cellulasque ventriculi, & inteſtinorum hærere, quæ dein ab humore gaſtrico, aliisque ad ventriculum, & inteſtina plorantibus liquoribus, & cum eisdem mixtis quantitate augentur.

CCXC.

Unde iſti humores plus minus pro diverſitate temperamenti, ſpiſſi, & cum aliis excrementis commixti, conſtituunt illam colluviem putridam, quæ ſi diutius in inteſtinis hæret, ſemper magis corrumpitur, & partim per vaſa lactea, partim per alia vaſa abſorbentia ad circulum humorum defertur; ibidem debet

necessario febrem augere; quin imo, dum hæc materia putrida ad circumferentiam corporis propellitur, debet etiam nova exanthemata exhibere.

CCXCI.

Ex quibus patet, uti jam superius ostendi, quam necessarium sit, statim ab initio morbi saburram in primis viis hærentem tam per levia purgantia, quam per clysmata appropriata evacuare; quin imo, si hoc ab initio morbi factum non fuerit, aut si talis colluvies putrida in primis viis hospitari videatur, quolibet variolarum tempore absque omni periculo, id ipsum fieri posse, & debere.

CASUS IX.

CCXCII.

Infans bimulus, hujatis mercatoris filius, quatuor dentibus incisoribus, & duobus molaribus jam præditus; incepe-

rat fieri morosus, languidus, inquietus; lectum semper petebat; si vero in situm rectum elevabatur, caput quasi nimis ponderosum inclinabat; cibos sibi oblatos respuebat, sitiebat solito plus, flebat, clamitabat, sæpiusque expavescebat; & tandem secunda morbi die convellebatur; quo tempore tota facies rubore quasi erysipelaceo perfusa videbatur, maxilla inferior spasmo ita stringebatur, ut non nisi magno labore a superiore dimoveri potuerit; gingivæ hinc inde præcipue vero in illa parte, ubi dentes camini erumpere solent, tumebant, rubebant, & dolebant.

Convulsiones, aliaque superius recensita symptomata nunc magis, nunc minus urgebant. Tandem die tertia minimas papulas hinc inde in facie observabam, quas tamen ita mobiles & vagas vidi, ut mox visibiles, mox vero invisibiles, apparerent, ex quibus luce cla-

clarius cognovi, has esse variolosas, unde speravi, si copiosiores erumpant, fore, ut prædicti motus convulsivi mitigentur, & tandem plenaria facta eruptione, cessent.

Verum quamvis clysmata emollientia, pediluvia ex lacte, aliaque diluentia, & antiphlogistica remedia a me ordinata, sedulo in usum vocarentur, persistebat tamen idem superius descriptus calamitosus status. Ex quo statim cognovi, illum inflammatorium statum, non tam a miasmate varioloso, quam ab ipsa dentitione dependere, & ab illis spasmis ita stringi peripheriam corporis, ut variolæ erumpere non possint.

CCXCIII.

Quapropter parentibus proposui, aut gingivarum incisionem, ut dentes canini eo facilius erumpere possint; aut sanguinis missionem, sive per venæsectionem, sive per sanguisugas instituendam, ast inania erant mea con-

consilia & vota; nam utrumque hoc remedii genus vulgus, præjudiciis certis captum, in infantibus abhorret. Interea convulsiones, aliaque symptomata semper magis, & magis augebantur; & die quinta infans aliquot tantum papulis præditus variolosis, ad plures migravit.

CASUS X.

CCXCIV.

Alter infans pariter bimus, eisdem in casu IX. recensitis affligebatur symptomatibus; unde judico superfluum fore, si eadem recenserem; sufficiat dicere, quod quoad omnes, tam ætatis, quam morbi circumstantias casus fuerit priori similis.

Cura fuit pariter eadem, excepta sanguinis missione; nam die tertia morbi curavi, & jussi applicari hirudines post aures, & quidem in quolibet latere tres; quarum ope intra sesquihoram quin-

que circiter unciæ ſanguinis extractæ fuere.

Sub ipſa hac operatione infans, qui bidui integro inſomnis erat, fiebat pacatior, & tribus, quatuorve horis, quamvis aliquoties artubus contremiſceret, obdormiverat. Tandem ſequebatur facilis, & pacata variolarum diſcretarum eruptio; ſuppuratio & exſiccatio; ſicque infans, qui periturus erat, in vita ſervabatur.

ANNOTATIONES

Ad Caſum IX. & X.

CCXCV.

Hujuſcemodi caſus ipſe multos habui, ſed longe plures ab aliis tractatos vidi; obſervavi tamen conſtanter, quod infantes, qui variolis, & dentitione ſimul afficiuntur medentibus multum negotii faceſ-

ceſſere ſoleant, & quod in ſimilicaſu plus ex dentitione, quam ex variolis, metuendum ſit; nam dum omnia ad vota cedere videntur ex variolis, ſuperveniunt quandoque inquietudines, calores, pavores, aliquando etiam convulſiones; quæ ſi magna adſit febris inflammatoria, non niſi gangræna & morte terminantur.

CCXCVI.

Si hæc in primo variolarum ſtadio eveniant, tunc propter conſenſum generis nervoſi, non tantum illa tunica gingivarum a dentibus tenditur & irritatur, ſed ſimul omne genus nervoſum, & membranoſum in conſenſum trahitur, ex quo cutis, ejusque vaſa ita ſtringuntur, ut miaſma illud varioloſum ad circumferentiam corporis propelli non poſſit.

CCXCVII.

In ſimili caſu debent talia præſtitui, quæ illam irritationem, tenſionem, & preſſionem tollunt. Item quæ inflam-

matoriam ſtaſim in minimis vaſis, præſertim cerebri diſſipant; & tandem, quæ placidæ variolarum eruptioni famulantur.

CCXCVIII.

Irritatio & tenſio membranæ gingivas ambientis debet leniri, emolliri, cremore lactis, butyro dulci, aliisque pinguedinibus recentibus, ſed non rancidis.

CCXCIX.

Aliqui fricant gingivas corporibus duris; aut foliis nicotianæ, quod melius, quia exinde ſalivatio excitatur.

Hoc ipſum efficimus interne per diverſa diluentia, emollientia antiphlogiſtica.

CCC.

Si vero his non obſtantibus, dentes necdum prodeant, tunc debet membrana, ubi dentes canini protuberant, ſcalpello diſcindi, quo facto membranæ tenſio, & irritatio una cum omnibus aliis funeſtis ſymptomatis ceſſabit.

CCCI.

Aliqui vero ex consilio Sydenhamii in simili casu, ubi convulsiones ex dentitione urgent, propinant unam, alteramve guttam spiritus cornu cervi.

Ast hoc experientia edoctus judico, caute agendum esse; si enim adsit magna febris inflammatoria tunc semper convulsiones exinde augentur, gangræna, & mors acceleratur.

CCCII.

Præterea alii in similibus casibus vesicatoria applicare solent, sperantes fore, ut per hanc revulsionem, aut derivationem convulsiones sopiantur, & miasmata variolosa a centro ad peripheriam pellantur.

Verum candide, & ingenue fateor, quod in illo casu, ubi urget febris inflammatoria, semper magis exinde augeatur febris, delirium, convulsiones; & talis funestus status diutius perduret,

tandem miliaria alba, gangrænæ, & mortis prænuncia, accedant.

Quapropter similia non nisi, ubi pulsus est debilis; aut si præmissa sufficiente sanginis detractione, convulsiones nihilominus (quod oppido rarum) adhuc perseverent; in usum vocari debent.

CASUS XI.

CCCIII.

Illustrissima Domicella Comes de Harrach 17. circiter annos nata 1745. in autumno præcipitanter corripiebatur variolis malignis, ut fere eadem die, qua infirmabatur, etiam variols confluentibus obsideretur. Unde nec venæsectio, nec quidquam aliud communium remediorum administrabatur; quin imo secunda, post variolarum eruptionem die, propter metum contagii in aliam domum transferebatur; ibique de die in diem

pejus

pejus habebat, atque ſexta jam morbi die convulſa mortua eſt.

ANNOTATIONES

Ad Caſum XI.

CCCIV.

Hic multæ quæſtiones problematicæ inſtitui poſſent, & quidem primo. An tempore, quo variolæ erumpunt, præcipuæ vero tempore frigido, ut autumnali ægri e domo in aliam domum ſine periculo transferri poſſint. Etenim facile fieri poteſt, ut variolæ, quæ recentiſſime eruperant, retrocedant; & aliæ, quæ mox erupturæ eſſent intra corpus detineantur, & adnobiliora viſcera, ut cerebrum rapiantur.

CCCV.

Altera quæſtio eſt; an ſtante variolarum eruptione venæſectio celebrari poſſit

ſit cum ægri levamine? Ego interim multos caſus novi, ubi completa fere jam variolarum eruptione venæſectio celebrata ægros e mortis faucibus liberavit; ut ſuperius jam dixi.

CCCVI.

Sed dices: ſicut ex frigore externo timendum eſt, ne variolæ retrocedant, aut erupturæ ne impediantur; ita idem metuendum eſt ex venæſectione, præſertim ſi facta jam eruptione inſtituatur.

Reſpondeo diverſos, & quidem contrarios eſſe effectus, qui a frigore, & a ſanguinis miſſione dependent, nam a frigore externo ſtringitur peripheria corporis; ex quo fit, ut illud, quod in eadem necdum firmam habet ſedem, facile retropellatur, & reliquum quod ultro ad circumferentiam corporis pelli deberet, intra vaſa retineatur, tandem alio, nimirum ad notabiliora viſcera, ut v. g. ad cerebrum deponatur; ex quo, ut obſer-

ſervationes docent, fiunt deliria, phreneſes, & convulſiones; aliquando etiam apoplexia.

Contrarium vero obtinet ex venæſectione, nam ſi hæc inſtituatur, dum vaſa partim ab orgaſmo, partim ab exuberantia ſanguinis diſtenduntur & turgent, tunc laxantur & collabuntur præcipue illa, quæ cutem perreptant; adeoque exinde non tantum liberior fit humorum circulus, ſed & heterogenea, quæcunque in vaſis contenta, facilius ad peripheriam propelluntur.

CASUS XII.

CCCVII.

Liber Baro de Saiter 15. circiter annos natus 1746. primis Januarii diebus corripiebatur morbillis eo tempore Vindobonæ graſſantibus.

Morbilli decurrebant, & terminabantur ſine notabili, & urgente aliquo ſym-

ſymptomate; etenim octava jam morbi die bene & placide dormiebat æger; bene appetebat; neque tuſſi amplius vexabatur.

Die circiter ab inſultu morbi decima quarta, poſt prægreſſam noctem inquietam conſpiciebantur hinc inde in corpore, præcipue vero in facie variolæ ſpuriæ cryſtallinæ, aut lymphaticæ dicendæ; nam ſtatim ſub eruptionis initium veſiculas lympidas, in medio tamen foveas habentes formabant; quæ ſive ipſæ rumperentur, ſive aperirentur, humorem aqueum fundebant.

Hoc tamen notabile erat, quod ſub initium ſecundæ diei circulum rubrum cum ſenſu alicujus doloris, ardoris & tenſionis formarent.

His tamen non obſtantibus die quarta circiter & quinta, ſine aliqua ſuppuratione ſiccabantur, & tandem evaneſcebant; pulſus erat naturalis, appetitus,

ſo-

somnus, & reliqua in bono statu. Verum tamen decima circiter post has nothas variolas die æger inceperat vomere biliosa, aderant inappetentia, sitis, dolores capitis, & ingens prostratio virium, quæ symptomata alicui in sex rebus non naturalibus commisso errori tunc adscribebantur.

Ast die sequente patebat, quæ esset horum symptomatum causa; nam tota facies, quin imo & reliquum jam corpus (quod oppido rarum) scatebat stygmatibus variolosis, quæ cum successive non tantum numero, sed etiam volumine augerentur, pro variolis veris, confluentibus, & malignis declarabantur.

Facta hac eruptione, febris non minuebatur, quin imo febris, anxietates augebantur; hisque accedebant insomnia, suspiria, subsultus tendinum, & frequens urinæ aquosæ secessus.

Unde factum, ut quarta jam a variolarum eruptione miliaria supervenerint.

Dum purpuræ tam albæ, quam rubræ copiosa facta fuisset eruptio, æger videbatur melius habere, liberius enim respirabat; sat bene, &, ut relatum fuit, sequente nocte placide dormiebat, febris pariter minui videbatur; ita, ut præsens morbi, & ægroti status omnia fausta promitteret.

Verum, quia sequentibus diebus neque in facie, neque in interstitiis aliarum variolarum aderant debitus, & necessarius tumor, & rubor; prædictis præmaturis, & fallacibus signis fidendum non erat.

Quemadmodum etiam die morbi circiter undecima evenit, ut a meridie post assumptam panatellam inexpectate horripilatione, totiusque corporis tremore, anxietatibus, suspiriis, ac tandem con-

vul-

vulſionibus prehenderetur, quibus intra horæ ſpatium jugulabatur.

ANNOTATIONES

Ad Caſum XII.

CCCVIII.

Iſte eſt ſingularis, qui mihi toto meæ praxeos tempore obvenit caſus. Plures autores obſervarunt, & ego ipſe vidi, quod morbillis variolæ ſupervenerint, quod variolas ſpurias veræ exceperint, quod ſcarlatinæ ſupervenerint morbilli, aut variolæ; Item puerperam, cui lochia ſiſtebantur, primo purpura & octiduo tardius variolis correptam vidi. Sed quatuor exanthemata ſibi breve intra tempus ſuccedentia nonniſi in hoc unico allato caſu obſervavi. Quamvis, ut in caſu dixi, aliqua ſymptomata multum ſpei promitterent, factum eſt tamen,

ut brevi & fere inopinato convulſus ad plures migraret.

Sane admirabar ſæpe repentinas illas mutationes, quæ in variolis contingere ſolent. Quoties enim obſtupeſcens vidi variolarum die nona, 14. 17. aut 21. quin imo etiam tardius, ubi æger jam in vado conſtitutus ab omnibus medicis declaratus & judicatus fuit, derepente convulſiones, & mortem ſuperveniſſe.

Similes ſiniſtri eventus certe aliunde derivari non poſſunt, quam quod per decurſum morbi in nobili aliquo viſcere materia morbifica, eodem fere modo uti furunculi in partibus externis, congeratur, ſuppuretur, ac tandem rupta aut exeſa apoſtematis tunica effundatur, ſicque prædictas tragœdias ludat.

In noſtro vero caſu videtur illa ipſa materia, quæ faciem reliquumque corpus in tumorem elevare debuiſſet, alio nimirum

rum ad cerebrum rapta fuiſſe, quod plerumque in ſimilibus caſibus evenire ſolet.

Ex hoc pariter caſu conſtat, quod quamvis poſt eruptionem miliarium æger aliquando alleviatus videatur, hæc tamen non ſtatim pro criticis habenda & declaranda ſint.

CASUS XIII.

CCCIX.

Hujatis civis filius 14. annos natus corripiebatur anno 1756. in Martio variolis diſcretis, ſed anomalis & malignis; nam ſecunda jam ab exacerbatione die in conſpectum venerant, quarum plures ad livorem & nigrorem accedebant. Præterea fere omnes depreſſæ, & in medio foveam habentes uſque ad finem perſiſtebant.

Quamvis æger non aliis remediis, quam ſuperius §. CXXVI. deſcriptis antiphlogiſticis uteretur; & in regimine

temperatiſſimo conſervaretur, nihilominus tamen die circiter ab eruptione nona miliaria ſupervenerant.

His funeſtis ſymptomatibus tamen non obſtantibus, tandem die decima ſeptima, cum quoad omnes functiones, & actiones bene ſe habere videretur, judicatus fuit. Verum tamen die circiter vigeſima de languore & totius corporis laſſitudine inceperat conqueri æger; aderat febris, ſitis, dolor capitis, & anxietates; his tandem ſupervenerant quædam tubercula in dorſo, clunibus, & hinc inde in reliquo corpore. Hæc dolebant, ardebant, & nychthemeri fere ſpatio ſuppurabantur, aliqua eorum erant mole exigua, alia nucem avellanam æquabant, alia vero ſuperabant; quæ, debito tempore a Chirurgo aperta, plus aut minus materiæ purulentæ fundebant. Vix autem conſolidatis his alia ſuperveniebant, quæ magis dolebant, magis ardebant, & ma-

jo-

jorem febrem conjunctam habebant, & tandem difficilius ad consolidationem perducebantur; quin imo multa eorum in fœdissima, & maligna ulcera, ad ossa usque substantiam carneam exedentia degenerabant. Hoc modo alia semper & alia prædictorum tuberculorum eruptio succedebat, & ad hebdomadas fere sex protrahebatur; cujus posterior semper pejor erat priore, ut prius jam dixi. Interea æger partim febre lenta, doloribus, inquietudinibus confectus, & ad incitas redactus videbatur.

Quamvis enim toto hujus morbi tempore copiosa diluentia, emollientia, lacticinia, hydrogalam, serum lactis, herbis antiscorbuticis imprægnatum, emulsa, & similia, quæ tam febri, quam acrimoniæ temperandæ dicata essent, assumpsisset; nihil tamen proficiebat, sed in pejus ruebat æger.

Quapproter in simili extremo casu ad corticem peruvianum ex consilio Magnifici pie defuncti Weber de Fürnberg confugi, cujus dragmas sex aut saltem unciam dimidiam quotidie assumebat, & debitam quantitatem prædictorum diluentium superbibat. Ex cujus usu non tantum recentium furunculorum propululatio, sed & ulcerum malignorum ulterior progressus, impediebatur; hæc facilius ad consolidationem, & æger tandem, quamvis sat lente, ad pristinam sanitatem perducebatur.

ANNOTATIONES
Ad Casum XIII.
CCCX.

Practici norunt variolis non tantum malignis, sed aliquando etiam benignis su-

ſupervenire furunculos, qui ægrotantibus non tantum moleſti, & dolorifici, ſed ſæpe etiam periculoſi eſſe ſolent: etenim in variolis, præſertim malignis, difficulter ad conſolidationem perduci poſſunt, & plerumque cum ulceribus malignis conjunguntur.

In ſimilibus caſibus non tantum propria ſed aliorum quoque experientia edoctus candide edicere poſſum, & teneor, quod ex ſuperius nominatis diluentibus, temperantibus, aliisque antiphlogiſticis difficulter aliquid ſperandum ſit; niſi illis prædictum antiſepticum jungatur.

Tales obſervationes tam proprias quam aliorum practicorum, data opera mihi annotavi; ſemperque vidi, quod prædicta remedia ſine aliquo ſpecifico antiſeptico imparia ſint tanto tollendo malo.

Ut alias obſervationes taceam, meminerim ſolummodo Nobiliſſimæ herulæ Comitis de Rothal; quæ 1746. vario-

lis discretis, sed malignis laboraverat, & omnes solitos malignitatis insultus usque ad diem morbi circiter decimam octavam feliciter superaverat: quo tempore ulcuscula quædam quasi aphthosa gingivas, linguam, laryngem, pharyngemque occupabant; quæ non tantum deglutitionem, sed & masticationem difficilem reddebant. Hæc intra aliquot dies & numero & volumine augebantur, & non tantum partes oris internas, sed & externas occupabant; atque in ulcera maligna, substantiam cellulosam, musculosam, & glandulosam ad ossa usque exedentia degenerabant.

In hoc tristi rerum statu in usum vocabantur omnia prædicta diluentia, dulcificantia, lactis serum, succi antiscorbutici, & lenia per epicrasim evacuantia, non neglectis appropriatis, & , ab expertissimis chirurgis præstitutis remediis externis.

Ve-

Verum tamen his non obſtantibus malum de die in diem augebatur, prædicta ulcera non tantum in facie horrendum præbebant ſpectaculum; verum etiam in aliis corporis partibus eadem ratione, ſuique multiplicatione ſæviebant.

Quibus tandem acceſſit maraſmus, & mors.

Si in hoc caſu debito tempore & quantitate cortex in uſum vocatus fuiſſet, forſitan felicior eventus exinde ſperari potuiſſet. Plura ſuperius §. CCXLIV. & CCXLV. de uſu corticis peruviani, & mercurii in furunculis & ulceribus malignis legi poſſunt. Item apud Bonet. Polyalt. Tom. III. pag. 650. & apud Ettmüller. Col. conſultat. caſu 24.

CCCXI.

Sane hic appoſite quæſtio inſtitui poteſt, an nimirum in ſimilibus exulcerationibus cicuta tam interne quam externe conveniat?

Ad quod respondeo, quod si experimenta novissime, tum a Magnifico Archiatro, & autore de Störk, cum ab aliis cicutæ fautoribus instituta, nobisque communicata subsistunt; nullus dubitem, quin usus cicutæ in nostro pariter casu locum habeat.

Verum dices, hæc responsio nec satisfacit, nec exhaurit factam de cicuta quæstionem; quisque enim a me petere poterit, quid ego observaverim, quidve sentiam de usu cicutæ in tumoribus scirrhosis, & ulceribus cancrosis; an horum, similiumque malorum ab usu cicutæ radicalis cura expectari possit, nec ne? Judico quidem non esse hujus loci, ut, quemadmodum gravitas materiæ & quæstionis exigit, satisfaciam; brevissime tamen, ut, & candide efferam, veritati famulaturus, quæ observando didici; reliqua aliis, qui majore judicio,

ma-

majore autoritate pollent, discutienda, & determinanda relicturus.

Antequam vero hanc materiam attingam, edicere debeo, ut fas est, quod Clarissimus & Magnificus Autor in perquisitione, & promulgatione hujus remedii se æterna memoria dignum reddiderit; eo quod nos edocuerit remedium, quod ferme ab omnibus tot, & tot seculis pro perniciosissimo veneno venditabatur, in diversis contumacissimis morbis ad sexaginta, & ultra grana nychthemeri spatio, non tantum sine noxa, sed sæpe secundo cum effectu exhiberi posse.

Quamobrem satis mirari non valeo, quod cicutam qualitate venenosa præditam esse, tum veteres cum recentiores plerique autumarint. Quin imo apud plures fide dignos Autores legimus Socratem; Demosthenem, aliosque cicuta enectos fuisse. Unde concludere debemus, vel, quod debeant dari diversæ

ci-

cicutæ species, quarum aliquæ venenosæ, aliæ vero minus dici debeant; vel quod cicutæ aliud venenum, ut multi judicant, mixtum fuerit. Habebat tamen omni tempore cicuta suos fautores, suosque asseclas; sic Ægyptii, multique Athenienfium ea ad extinguendam libidinem usi fuisse dicuntur, ut in Ephemerid. nat. cur. Anno 4. & 7. observ. 106. habetur.

Rajus refert, a quodam nomine Bowle ad scrupulum unum pro dosi ad profligandas febres exhibitam fuisse.

Quin imo Ronealmus observ. 3. & in suis operibus 1606. Parisiis editis illam in infusione ad dragmas duas, in substantia vero ad dragmam dimidiam, & ultro exhibuit.

Friccius pariter in suo tractatu de virtute venenorum medica ait: *Cicutam moderate & methodice exhibitam tutissimum & utilissimum esse remedium.*

Item

Item in eodem tractatu oftendit, cicutam non tantum quibusdam veteribus, ut Hippocrati, & Galeno, fed & recentioribus familiarem fuiffe.

Ne vero præcoces in definiendis cicutæ viribus & effectibus, quos præfertim in tumoribus, & ulceribus obfervamus, effe videamur, judico fequentes obfervationes, omnibus practicis alias notas, præ oculis habendas effe; & quidem

Primo, quod tumores fcirrhofi cum tumoribus duris œdematofis confundendi, aut promifcue accipiendi non fint.

Secundo, quod ulcera cancrofa bene diftinguenda fint ab ulceribus malignis phagedenicis.

Ratio afferti eft, quia fæpe videmus tumores duros, indolentes, & nonnifi tenfione partium adjacentium moleftos, valde diu tales perfiftere, & tandem aliis remediis aperitivis, difcutientibus; aut etiam fine omnibus remediis, folum-

ſolummodo ipſis naturæ viribus, diſſipari, & evaneſcere. Hoc malum præ aliis commune eſt juventuti, in hac enim ætate videmus, glandulas colli mirum in modum tumere, multis menſibus, quin imo annis tales perſiſtere, & aliquando ſine omni artificio diſſipari.

Si itaque in ſimili ſtatu aliquis cicutam adhiberet, tumoris hujus diſſipationem procul dubio cicutæ attribueret, qui ſine tali remedio diſſipari, aut evaneſcere potuiſſet.

Idem in ulceribus ſæpe obtinet; etenim experti Medici, & Chirurgi optime norunt, ulcera maligna, phagedænica, ſed non cancroſa, debita methodo tam interne quam externe tractata ſine cicuta curata fuiſſe, & etiamnum curari.

Quapropter bene examinanda ſunt prius ulcera, quibus medemur, ne præcipitanter nimis talia pro cancroſis decla-

re-

remus. Ut vero tumoribus ſcirrhoſis, & ulceribus cancroſis ſecundo cum effectu medeamur, duo requiruntur principia in remedio, quod ad hunc finem in uſum vocamus. Primum principium debet eſſe ſolvens, & reſolvens illius, quod tenax, & impactum in aliqua parte hæret.

Secundum debet illud miaſma acre, cancroſum ſpecifica quadam virtute corrigere aut deſtruere.

Virtutem ſolventem in cicuta non tam facile quisquam in dubium vocabit. Aſt metuendum eſt, quemadmodum ego ſæpe obſervavi, ne hac ratione ſcirrhi nimis cito exulcerentur; qui diutius integri, & indolentes perſtitiſſent, ſi remediis laceſſiti non fuiſſent.

Quod vero aliam virtutem illud miaſma cancroſum corrigendi concernit, eſt illa ita neceſſaria, ut ſine illa fruſtra cancro cuicunque medeamur; experientia enim omnibus practicis conſtat, miaſma

illud

illud cancrosum esse revera, contagiosum & multiplicabile.

Item notum est, quod quamvis pars cancro affecta v. g. amputetur, nihilominus tamen miasma cancrosum humoribus inhærens, in alia parte corporis propululet, ibidem eandem, quam in mamma tragœdiam ludat, sicque non tantum inutilem, sed sæpe noxiam operationem reddat.

An vero hæc virtus specifica miasma cancrosum corrigendi, aut destruendi ipsi cicutæ insit, metuo, ne mihi, ne cuique alteri injurius videar, si hucusque dubius hæream, quin imo potius contrarium sentiam.

Quamobrem doleo, quod, mea cum cicuta in prædictis affectibus capta experimenta me aliter edocuerint.

Vidi enim, si notabilis quantitas cicutæ in scyrrho aut cancro exhibeatur,

acri-

acrimoniam peccantem una cum febre depascente augeri.

Quin imo sæpissime vidi ab acrimonia cancrosa humoribus nostris mixta quasdam febres, ut plurimum irregulares, aliquando vero regulares, & typum quotidianæ, aut tertianæ servantes oriri, ægrosque, nisi mature sopiantur, fere conficere.

Si in similibus casibus usui cicutæ aliquis, minus expertus, tenaciter inhæreret, certe ægrum pessumdaret.

In quo casu optimum effectum expertus sum ex cortice peruviano, si in debita quantitate, & debito tempore nimirum in remissione exhibeatur.

Hujus enim virtus acrimoniam temperandi, cicurandi, febresque dictas sopiendi, omnibus practicis hoc tempore nota est, ut jam superius sæpius dictum fuit.

Præterea obſervavi, quod ex uſu cicutæ ſolito ſæpius, & ſolito vehementius hæmorrhagiæ in parte cancro affecta urgeant; unde non tantum vires, ſed & ſucci inquilini in ægris exhauriuntur.

Ex quibus ſequentia Corollaria deduci poſſunt.

COROLLARIUM I.

Quod cicuta propter vim ſolventem, qua pollet, in omnibus illis affectibus conveniat, in quibus ſpiſſitudo, & craſſities humorum prædominatur.

COROLLARIUM II.

Quod tumores ſcirrhoſi, & cancri occulti ex uſu cicutæ longe citius, quam ſibi relicti ad ſuppurationem tendant.

COROLLARIUM III.

Quod ulcera cancrofa ex ufu cicutæ exafperentur, inflammentur, magisque ad fuppurationem vergant.

COROLLARIUM IV.

Quod cicuta noftras videatur fpecie differre ab illa, a qua tot neces illatas fuiffe perhibent Autores fide digni.

Primum corollarium facile concipitur ex principiis acribus, activis, & penetrantibus, quibus cicuta conftat. Qua ex ratione conducit, ubicunque fpiffitudo humorum peccat; five talis hæreat in vafis lymphaticis, five ferofis, aut in nervis ipfis.

Quapropter convenit in omnibus tumoribus œdematofis tam internis quam externis. In omnibus vifcerum obftructionibus.

Item in affectibus articulorum, ut arthritide. Quam ob rationem Mayerne, celeberrimus quondam Practicus, pilulis arthriticis ex cicuta felici cum eventu utebatur.

Item in morbis oculorum egregiam opem fert, si spissitudo humorum ad tales disponat. Sic enim præcavet, a cataracta, & gutta serena.

An vero cataractam jam factam, & amaurosim præsentem, ut in parte secunda operum D. Magnifici de Störk casus adducti habent, curet, judico, hoc assertum debere prius multis experimentis probari, dein primo confirmari.

Veritas secundi & tertii corollarii deducitur ex illis, quæ in primo dicta sunt; si enim cicutæ principia acria & irritantia sunt, non possunt in illis affectibus admitti, qui ad acrimoniam tendunt, aut in quibus acre prædominatur; uti sunt scirrhi, & cancri tam aperti

quam

quam occulti ; neque enim potus diluens quiſcunque fuerit aſſumptus diluere & obtundere hoc acre potis erit.

CASUS XIV. ET ULTIMUS

CCCXII.

Adoleſcens N. N. 17. circiter annos natus corripiebatur inopinanter copioſiſſimis variolis confluentibus , quæ quamvis multum negotii medentibus faceſſerent , nihilominus tamen æger feliciter attigerat trigeſimam morbi diem , qua perfecte quoad omnes functiones valere videbatur.

Die circiter quinquageſima a principio morbi inceperat conqueri de intenſo dolore capitis, tempora, & frontem occupante , qui de die in diem augebatur, ægrumque inquietiſſimum, inſomnemque reddebat. Quamvis tam externa topica, epiſpaſtica, quam interna diluentia, re-

ſolventia, per epicraſim evacuantia, enemata, pediluvia, phlebotomia, aliaque ſimilia in uſum vocata fuiſſent, nihilominus tamen idem acutiſſimus dolor perſeverabat, donec poſt octiduum prægreſſis aliquot violentis ſternutationibus, vermiculi aliquot tenues, filamentorum inſtar duos, tresve polices longi per nares ſecederet, quorum aliqui adhuc leviter movebantur, alii vero immobiles erant. Quo facto æger melius habere videbatur.

Verum tamen aliquot diebus vix elapſis recruduit idem acutiſſimus dolor.

In quo caſu, cum cauſa, & ſedes hujus mali jam nota eſſent, princeps indicatio, & cura fuit, ut illud, quod in ſinu frontali congeſtum & corruptum hæret, diluatur, mobile reddatur, per nares evacuetur, nidus vermium deſtruatur, ac tandem pars læſa conſolidetur.

In quem finem tam externa, quam interna præſtituebantur remedia.

Ex-

Externa erant illa, quæ fronti applicabantur. Tempore acuti doloris applicabantur fomenta ex ſpeciebus emollientibus in lacte coctis. Dum vero dolor ſilebat, aut remiſſior erat, apponebatur emplaſtrum de ranis cum mercurio, aut emplaſtrum de gummatibus cum aſſa fœtida & mercurio.

Item lac, aut decoctum hordei cum melle ſæpius attrahebatur ad nares.

Ex iisdem vapores, tanquam remedium valde penetrans, ad nares ſuſcipiebantur.

His quandoque, præcipue in dolorum remiſſione, interponebantur ſuffitus anthelmintici ex nicotiana, cinabari, aliisque ſimilibus.

Interna autem remedia erant maximam partem antiphlogiſtica, paregorica, & lenia per alvum evacuantia.

Quibus tandem efficiebatur, ut non tantum prædicti vermiculi, ſed & mate-

ria putida, fœtensque copiose per nares secederet, sicque æger a dolore capitis immunis erat.

Dum vero intra unam alteramve hebdomadam prædicta materia in sinubus iterum colligebatur, aderant mox prædicti dolores capitis, qui non nisi facta vermiculorum & materiæ putridæ per nares evacuatione, sistebantur, & sopiebantur.

Hæc molesta & atrox morbi conditio sæpius repetebat, & non nisi integro anno transacto sopita & subacta videbatur. Quo tempore, quamvis æger de atroci illo dolore capitis non amplius conquereretur, neque per nares quidquam peregrini ultro secederet, quoad functiones animales videbatur tamen deficere, & quodam animi mœrore torqueri.

Unde dein contigit, ut post quatuor circiter, ab ultimo doloris accessu, menses, absque causa manifesta sibi ipse noctu violentam inflixerit mortem.

A N-

ANNOTATIONES

Ad Casum XIV.

CCCXIII.

Ex hac historia discimus, quod variolæ præsertim malignæ sæpe suum virus ad diversas corporis partes deponere consueverint, aliquando enim in partibus corporis externis, ut ex priore casu patet, fiunt furunculi diuturni, & periculosi; aliquando vero succedunt ulcera maligna totum corpus depascentia.

Si vero tales metastases ad partes corporis internas fiant, affectus eo periculosior exinde exurgit.

In nostro casu videntur reliquiæ materiæ variolosæ in sinu frontali sedem fixisse, quæ successu temporis in suppurationem, & majorem corruptionem degenerabant.

Quare ex noſtris de contagio & putredine principiis mirum non eſt, ſi hic ſimiles vermiculi geniti fuerint, & tandem per nares ſucceſſerint; ibidem enim oſtendi, quod in materia putrida varioloſa tales deprehendantur.

Unde patet ſedem acutiſſimi doloris capitis, & prædictorum vermiculorum fuiſſe ſinum frontalem, qui duos circiter eſt polices longus, & decem lineas latus, in quo prædicti vermiculi convoluti facile hoſpitari poterant, donec per foramen ad nares devecti fuiſſent.

Probabile tamen eſt, in noſtro caſu eandem cauſam, aut in cerebro, aut in ejuſdem ventriculis pariter extitiſſe, unde dein memoriæ, aliarumque actionum læſio derivari debet.

Quin imo ex eadem cauſa poſſet violenta mors deduci; in quantum æger exinde in phreneſim raptus ſibi ipſi violentas injecerit manus.

Ne

Ne vero hæc, quæ dixi, ſine fundamento aſſerta eſſe videantur, aliquot exemplis & obſervationibus, quæ apud probatos Autores proſtant, confirmabo.

Sic Muffetus de inſectis cap. 30. ait: *Fuit olim in Germania, & Hungaria frequens affectus capitis, atque omnes eo correpti in phreneſim, vel maniam inciderant, mortuisque diſſecto cerebro vermiculus inventus eſt.*

Huc referri debet ille caſus, qui in Ephemerid. N. C. Anno 6. & 7. pag. 132. habetur; quod videlicet variolis mania ſupervenerit.

Thomas Bartolinus cent. 1. hiſtor. 64. dicit: *Lutetianæ puellæ 12. annorum curatis variolis, tantus capitis dolor ſupervenit, ut trium menſium curriculo nec dormire quiverit, nec quieſcere, nullas dolore inducias concedente, tandem cum tabida obiiſſet, ſtatim aperto cranio, deprebenſa fuit univerſa cerebelli ſubſtantia in dextro a reliquo corpore ſejuncta, nigra-*

que

que tunica involuta. Rupta tunica nigra vermem nigrum, pilosum prodidit latentem; & alia, quæ ibidem legi possunt.

Præ aliis notabilis prostat observatio, quæ ad nostrum scopum quam optime pertinet in Miscell. curios. dec. 3. Anno 2do observ. 53. quæ sic sonat: *dum Patavii in Hospitali majori praxi medica occupabar, sese anno 1687. obtulit vir quidam quadragenarius, febre ardente detentus, is, dum judicatus ab hospitali dimissionem obtinuit, jamque singulis gratias agens, finito Missæ Sacrificio discedere decrevit, & ecce jamjam finita missa in hospitali circumcurrere, furere, & clamare, uti phreniticus cœpit, & priusquam illi ulla medicina adhiberi, & in lectum reponi potuisset, exspiravit.*

Unde omnes attoniti aperuimus cadaver. - -

In medulla cerebri innumeros vermiculos, non absimiles illis, qui in caseo veteri

repe-

reperiuntur, cum omnium stupore, undique dispersos invenimus.

Unde ex his aliisque pluribus, quas hic prætereo, practicorum observationibus, actionum animalium læsionem, uti & violentam mortem non sine fundamento deducere possumus.

Possem hic fere innumeros alios de variolis adducere casus; verum quia, quamvis essent singulares, possent tamen maximam partem ad jam superius allatos referri, ideo hosce tantum selegi, qui pro norma multorum similium inservire possint.

Hisce Benevole Lector fruere, & fave.



ERRATA NOTABILIORA

IN

TRACTATU DE VARIOLIS.

Pagina 42.	Linea 2.	etiam, loco & jam
44.	- - - 2.	ſuppurantur, loco ſuppurabantur.
49.	- - - 10.	nunciabantur, loco nunciabatur.
52.	- - - 19.	alborum, rubrorum, loco albarum, rubrarum.
103.	- - - 13.	ægro, loco ægre.
178.	- - - 15.	idem, loco item.
191.	- - - 7.	relinquat, loco relinquant.
278.	- - - 9.	ſecederent, loco ſecederet.
282.	- - - 4.	ſeceſſerint, loco ſucceſſerint.